UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R.D. Iacobi Marchantii, Pastoris Et Decani Covviniensis SS. Theolog. Professoris, Rationale Evangelizantivm

**Marchantius, Jacobus**

**Coloniae Agrippinae, 1661**

[Tractatus VII. Lilivminter Spinas Sive De Passione Domini Nostri Iesv Christi.]

urn:nbn:de:hbz:466:1-56372

Visual Library

ſordidiſſimè & flagitioſiſſimè. Et hoc Dominus non ignorabat, dicente Evangeliſta: *Sciebat enim quiſnam eſſet qui traderet eum, propterea dixit, non eſtis mundi omnes.*

*Exempla eorũ qui Chriſtũ in lotione imitati ſunt.*

EXemplo Chriſti Domini pedes ſuorum Diſcipulorum lavantis, Summus Pontifex (qui eius vices gerit in ſupremo faſtigio dignitatis) ad duodecim pauperum pedes ſolet ſeſe abiicere, & illos lavare ac tergere. Similiter & Cardinales (qui ſunt velut *Cardines terræ ſuper quos poſuit Dominus orbem*) exemplum eiuſdem Domini ſequentes Romæ Hoſpitalia inviſunt, & egenis, ægriſque humillimè pedes abluunt, Vnde alibi diximus, hac humilitate commotum quendam Polonum Miniſtrum Lutheranum poſt viginti tres annos miniſterii ſui ſathanici Romæ veram fidem amplexum eſſe, publicè abjurato Lutheri errore, anno Iubilæi, 1575.

*V. hiſt. hãc intr. de Iubil. lect. 2.*

Sic S. Oſualdus Vigornienſis Epiſcopus in Anglia emoritur lavans pedes pauperum, recitatiſque in illa lotione quindecim Pſalmis gradualibus pro more ſuo.

S. Ludovicus Rex Galliæ idem peragebat officium magna pietate inviſens hoſpitalia, & manus ſceptro decoratas ad pauperum & ægrorum ſordes diluendas adiiciens.

Similia reperies de S. Radegunde Regina, de S. Elizabetha filia Regis Hungariæ, & pleriſque aliis Sanctis ſublimi dignitate, vel Eccleſiaſtica, vel ſæculari præeminentibus, qui ſibi honori duxerunt officium à Chriſto primitus præſtitum Diſcipulis, aliis exhibere, cordi figentes illud poſtremum eius monitum: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum feci, ſic & vos faciatis.* Vnde B. Laurentius Iuſtinianus ſic exclamat: *O humanæ pudor ſuperbiæ? O altitudinis terrenæ confutatio ſingularis, videre Dei Filium aquam infundere, refundere, pedum pulverem abluere, linteo extergere, atque ſingulorum pedibus oſcula imprimere dulciſſimæ charitatis? Et quis poſt hanc ſubmiſſionem ſuperbiat & dicat: Maior illo ſum, qui ſuorum ſubſternitur pedibus?* Hæc ille.

*Cõcluſio*

OBſecro, Domine, per miſericordiã, per quã in hunc mundum pro nobis deſcendiſti, per humilitatem, quam verbo & exemplo docuiſti, per dilectionem, quam maximè in fine declaraſti, per candidum linteum, quo præcinctus fuiſti, per amoroſam illam lotionem, quam pedibus diſcipulorum impendiſti, ut omnibus qui ad menſam tuam prætendunt accedere, puritatem dones, humilitatem, amorem, ut illis laves caput & pedes, cor & manus, purificando intentionem, cogitationes, affectus, opera; ſicque dignè corpori & ſãguini tuo communicent, & cum electis partem accipiens, hic gratiæ & ſpiritus in conſortio & convivio tuo, ac poſtmodum partem gloriæ & hæreditatis in regno tuo. Fac ut nullus hic Iudas aſſiſtat, nullus impius, nullus immundus, nullus ſacra myſteria polluens. Sed ſint omnes veri tui *Diſcipuli*, ſint mundi omnes, ſint uniti tibi vera fide, vera charitate, donec uniantur perfectiſſimè æterno amore,

# TRACTATUS VII.

## LILIVM INTER SPINAS SIVE DE PASSIONE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

### LECTIO I.

*De ingreſſu Chriſti in Hortũ, & eius orationis triſtitia*

*Chriſtus in fine vitæ amore plenus.*

SEd quùm Dominus ignitam ſuã charitatem demonſtravit, præſertim id fuit in fine vitæ. Tunc enim ſe maximè prodidit amor eius, & in operibus, & in verbis. In figura huius rei, juſſus eſt olim Moyſes ad oram tunicæ ſummi Sacerdotis appendere mala punica, ex hyacintho, & purpura & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis aureis. Et hac veſte *veſtiẽdus erat Sacerdos in officio miniſterii ſui, ut audiatur ſonitus, quãdo ingreditur & egreditur ſanctariũ in conſpectu Domini* Quæ eſt ora tunicæ Sacerdotalis, niſi extrema tempora vitæ Domini Ieſu Chriſti? Quæ ſunt mala punica, niſi ignea & fulgidiſſima charitatis eius indicia? Quæ ſunt tintinnabula, niſi reſonãtia undiq; dilectionẽ eius poſtrema verba, quibus diſcipulos ſuos inſtruxit & nos in ipſis? Sive ergo ingreditur cænaculum illud grande, quaſi templum ut ſe offerat incruẽtè & myſticè poſt Agni immolationem: ſive egreditur, ut in hortũ procedat, tãquam locum electũ, in quo vultus Patris ſe ſiſtat cruentè, totus eſt amore circumdatus, quaſi malis punicis & tintinnabulis in extremitate veſtis ſuæ Sacerdotalis. Decet autem nos audire hæc tintinnabula attentis mentis auribus, & mala illa punica conſiderare, & purpuram, & hyacinthum, ac coccum gemina charitate tinctũ. Quapropter & Evangeliſtarum verba, hac de re ponderanda ſunt quia omnia myſterio plena. Sic incipit S. Ioannes: *Egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans Torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit, & diſcipuli eius.* Attende ſingula.

*Exod. 18.*

*Ingreſſus & egreſſus Ieſus.*

*Ioan. 18.*

*1. Egreſſus de civitate Ieruſalem.*

1. *Egreſſus eſt*: inquit Evangeliſta. Sed undè egreſſus? Vtique de civitate illa Ieruſalem, quam paucis ante diebus paterno deplorarat affectu, ubertim fluentibus lacrymis ejus miſereſcens: nũc autem ſanguineis eam lacrymis eſt deploraturus, non ſolùm ex oculis, ſed toto de corpore eius promanantibus. Quando verò *egreſſus eſt?*

In

In fine diei egreſſus eſt, quia terminus lucis aderat miſeranda illi populo, ipſo egrediente qui eſt *Lux lucis, & Fons luminis.* Noctem ergo reliquit & tenebras, diſcedens ab eis, quia *ipſi fuerunt rebelles lumini, & neſcierunt vias eius, & non ſunt reverſi per ſemitas eius.*

*Egreſſus de cœnaculo. Mat. 26. Pſ. 113. Hymnus Ieſu quis fuerit.*

2. 2. **Egreſſus eſt**, de grandi illo cœnaculo, in quo Agnum comederet, finē imponens veteri Legi, & Sacrificio. Et ante egreſſum cecinit hymnū, teſte Matthæo. Quē vero hymnum? Hymnum, *In exitu Iſrael de Ægypto*; quem ſolebant Hebræi canere poſt eſum Agni, ut teſtantur nonnulli interpretes ut Paulus Burg. & alii. Hæc nempe poſtrema fuit vox laudis; vox gratiarū actionis, cygnæa vox ad mortem properantis, poſtquam in epulo illo non ſolum Agnum legalem, ſed etiam ſeipſum in potum & cibum dederat, arrham eis relinquens cōſummatæ dilectionis, teſtamentum novi fœderis, pignus æternæ hæreditatis. O cātum? ô egreſſum conſideratione dignū? quia abibat ut novum fœdus ſanguine ſuo confirmaret, ut redemptionis opus conſummaret, ut voluntatem Patris perficeret; quod quidem ſæpè dixerat eſſe cibum ſuum, quem in deſiderio & deliciis habebat.

*Egreſſus trans torrentem Cedron. 2 Reg 15. Pſ. 109.*

3. 3 Quoniam portò *egreſſus eſt? Trans Torrentem Cedron*, inquit Evangeliſta. Hic medius erat inter Hieruſalem & Montem Oliveti. Hunc trāſiverat David mœſtus, pedibus ſuis, operto capite egreſſus è Jeruſalē, fugiens Abſalonem. Etiam ex tunc præceſſerat figura, quæ modò in Chriſto adimpletur. Debebat adimpleri quoque Prophetia ejuſdē dicentis: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Torrentem ergò tranſit, ſed & tranſitus iſte myſterio non caret, quia per torrentem amariſſimum & turbidiſſimum variarum pœnarum & paſſionum tranſiturus mox erat in viæ & vitæ ſuæ termino, & immergendus in aquas anguſtiæ & mœroris, ut abundè bibat, & amaritudinem perſentiat acerbiſſimè, humilieturque profundiſſimè; ſed poſtmodum exaltabit caput ſublimiſſimè, ſuperatis omnibus anguſtiis, omnibuſque hoſtibus ſuis in triumphum ductis coronabitur gloria & honore.

*Egreſſus eſt, & abiit in hortum. Luc. 22.*

4. 4. Denique *egreſſus eſt*, & abiit in Hortum, tamquā in campum certaminis contra Satanam, Mortem, Infernum. *Egreſſus eſt*, & abiit in Hortum, ut ſatisfaciat pro crimine in horto commiſſo: ut ubi mors orta eſt ibi oriatur & vita; & ubi Adam primus eſt devictus à Diabolo, ibi ſuperetur jā Diabolus ab Adam ſecundo. Egreſſus abiit in hortum, in quem ſolitus fuit noctē ſecedere ad orandum, poſtquā diem penè totum doctrinæ impendiſſet: *Egreſſus ibat ſecundum conſuetudinem in montem Olivarum.* Voluit nempè auſpicari Paſſionis & Redemptionis myſterium ab oratione in horto & loco ſecreto, ut doceat nos in anguſtiis & mœroribus Patrem accedere cum ſolicitudine, at non ſine cordis ſolitudine.

*Egreſſus eſt cum grege paſtor. Luc. 22. Ioan. 18. Ioan. 13. Ibidem. Mat. 27. Chriſtus tres diſcipulos ſpecialiter aſſumiſit. Matt. 26. Matt. 23.*

5. 5 Cæterum, *Egreſſus eſt*, non ſine puſillo ſuo grege Paſtor ille bonus, magis illius ſollicitus quàm ſui. *Secuti ſunt eum diſcipuli*, ait S. Lucas: *Et introivit in Hortum cum Diſcipulis*, inquit Joannes. Secuti ſunt undecim, omnes ſcilicet præter filium perditionis, qui jam abierat Satana inſtigante, & verbo Domini quodammodò eū expellente, dum dixit: *Quod facis, fac citius.* Abierat, inquā, ut ſcelus ſuum conſummaret, & venditæ mercis pretiū reciperet. Hic ſolus aberat, cæteros *in finem uſque dilexit*, fovit, inſtruxit, conſolatus eſt, & exhortatus ſermone ſcintillis amoris pleno; præmonuit de inſtante turbine, ut cautos redderet; ac Patri cōmendavit affectu tenerrimo. Itaque ſecuti ſunt hi, & in Hortū cum eis introivit. Sequamur & nos eum, ſi de eius eſſe volumus diſcipulis. Sequamur milites Ducem, oves Paſtorē. Tres tamen ſpecialiter adſumpſit, quos gloriæ ſuæ conſcios in monte Thabor fecerat, quique promiſerant ſe poſſe bibere calicem quē ipſe bibiturus erat. Petrus enim dixerat; *Etiamſi oportuerit me mori tecum, nō te negabo.* Jacobus autem & Joannes pridē interrogati: *Poteſtisne bibere calicem quem ego bibiturus ſum?* Reſponderunt: *Poſſumus*: Hos, tamquam fortiores & familiaritate ſibi junctos, nunc ſpecialiter aſſumit, cæteris dicit: *Sedete hic, donec vadam illuc, & orem.* Cupit eos ſedere, hoc eſt, nō moveri; ut nec loco, ſic nec animo. Cupit, ut ſedeant in tranquillitate, nec turbentur mente, jam inſtante tentatione. Quaſi eis rememoraret, & diceret illud Sapiētis: *Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, ne dimittas locum tuum.* Hoc ei erat in votis, ut ſicut *in omnibus tentationibus ſecum permanſerunt*, Luc. 22. ſic & nunc permanerent. Prævidebat tamen mox diſpergendos, & in Paſſione ſua ſcandalum paſſuros, ac morte perturbandos, ſauciandoſque. Hoc certè cor eius amantiſſimum invitus præſauciabat, ſimul cum naturali mortis imminentis horrore.

*Eoſdem voluit eſſe teſtes humanæ ſuæ infirmitatis. Cant. 4.*

Ideò cepit *contriſtari & mœſtus eſſe tadere & pavere*, hoc eſt, variā eamque intimam afflictionem pati. Quam quidem afflictionem etiam corpore extrinſecus præferebat & facie, totus impalleſcēs & cōtremiſcens: ſpecialibuſque verbis his tribus diſcipulis eam manifeſtat, quia eos elegerat ut teſtes humanæ ſuæ infirmitatis & mœroris iuxta *Montem myrrhæ, & Collem thuris*; ſicut antea elegerat teſtes gloriæ & divinitatis in Mōte Thabor, ſive in *Monte Luminis.* Dixit ergo eis: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Quod quidem verum erat, tum quia cum tanta invaſit triſtitia, ut vel ſola mortem inferre valeret: tum quia illa triſtitia uſq; ad mortem erat permanſura, ſine ulla immunitione aut ſolatii admiſtione. Quapropter Theologi dicunt eam fuiſſe *ſummam intenſivè & extenſivè.* Intenſivè quidem, quia majorem in hac vita numquā homo habuit. Extenſivè verò, quia perduravit uſque ad inſtans mortis, & replevit omnes potentias animæ Chriſti, intellectum, voluntatem, memoriam; ita ut poſſet dicere cum Poëta,

*Triſtitia Chriſti qualis fuerit & quanta.*

*Ps. 87.*

*Quocumque aſpicio, nihil eſt niſi mortis imago.* Et cum Propheta: *Repleta eſt malis anima mea*, hoc eſt, undique poſſeſſa ab acerbiſſimis pœnis, anguſtiis, doloribus, quoad omnes potentias triſtitiæ & doloris capaces.

*Chriſtus triſtis uſque ad mortem, non propter mortem. Ioan.*

Notant hic ſancti Patres dicere Chriſtum, *triſtem ſe eſſe uſque ad mortem*, non verò dicere, *triſtem ſe eſſe propter mortem*, quibus verbis indicari volunt, triſtitiam eius non tam ab mortem fuiſſe, quam finem ejus fore mortem, per quam liberabuntur electi, & ipſe lætitiam reſurrectionis toto orbe diffuſurus eſt. Audi hac de re Sanctum Auguſtinum: *Non verè Dominus pati, morique timebat, tertia die reſurrecturus, cum gauderet diſſolvi Paulus, & eſſe cum Chriſto. Non enim fortior eſt miles, quam Imperator. Miles ergò coronandus non timet mori, & Dominus coronaturus timet mortem?* Hæc Auguſtinus.

*Hilar. in Matth.*

Audi & S. Hilarium diſertè hac de triſtitia dicentem: *Evangeliſta Chriſtum non propter mortem, ſed uſque ad mortem triſtem fuiſſe dicit. Interrogo, quid ſit triſtem eſſe uſque ad mortem? Quia ubi propter mortem triſtitia eſt, ibi mors cauſa triſtitiæ eſt. Vbi verò triſtitia uſque ad mortem eſt, ibi mors non triſtitiæ cauſa, ſed finis. Non ergò ſibi triſtis eſt, ſed illis qui in ſcandalo per infirmitatem erant futuri.* Hæc Hilarius.

*Amb. in Luc. l. 10. c. 22.*

Audi & S. Ambroſium, ut in ore trium teſtium ſtet hoc verbum. *Triſtis erat, non pro ſua paſſione, ſed prò noſtra diſperſione:* Percutiam Paſtorem, *& diſpergentur oves gregis. Triſtis erat, quia nos parvulos relinquebat. Pro me doluit, quia nihil habebat pro ſe quod doleret: Suſcepit triſtitiam meam, ut mihi ſuam largiretur lætitiam, & veſtigiis noſtris deſcendit, uſque ad mortis ærumnam, ut nos ſuis veſtigiis revocaret ad vitam:* Hæc Sanctus Ambroſius, qui & eodem loco Chriſtum his verbis piè compellat in mœrore ſua agentem. *Dolebas, Domine, non tua, ſed mea vulnera, non tuam mortem, ſed noſtrã infirmitatem. Infirmatus enim es, ſed propter peccata noſtra. Illa infirmitas erat pro me ſuſcepta, mihi proderat, ut eruditio pacis noſtræ eſſet in te, & livore tuo ſanares noſtra peccata.* Denique & de eadem re addit ibidem S. Ambroſ. *Quid mirum ſi pro omnibus doluit, qui pro uno flevit? Si moriturus pro omnibus tædeat, qui Lazarum reſuſcitaturus lacrymas dat? Et fortè ideo triſtis eſt, quia poſt Adæ lapſum tali tranſitu nobis erat ex hoc ſeculo tranſeundum, ut mori eſſet neceſſe. Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum: & ideo faſtidit quod ipſe non fecit.*

Cui conſonat illud S. Auguſtini de Lazaro dicentis: *Quare flebat mortuum, ſed iubente mox victurum? Non flebat mortuum, quem ſuſcitabat; ſed mortem quam homo peccando ſibi comparavarat. Si enim peccatum non præceſſiſſet, mors ſecuta non foret.* Hæc S. Auguſtinus conformiter Ambroſio.

*An Chriſtus ſecundũ affectum humanum timuerit mortem.*

Adverte verò in hac doctrina SS Patrum, eos non negare Chriſtum ſecundum affectum humanum verè mortem pertimuiſſe, & ex illa triſtitiam ingentem concepiſſe: Sed ſignificare volunt illam triſtitiam & timorem voluntariè aſſumpſiſſe, atque præponderaſſe in hoc timore & triſtitia multa quæ ex ſua paſſione obventura erant, tum ob diſcipulos fugientes, tum ob Iudæos pereuntes, tum ob Chriſtianos poſtea perfidos: ita ut maior fuerit triſtitia pro peccatis noſtris, quam pro morte ſua.

Interim non obſtante metu, pavore mœrore, pergit ad locum orationis, *& avulſus eſt* ab his electis diſcipulis, *quantum eſt jactus lapidis.* Non longius, quia eos elegerat ut forẽt anguſtiæ & orationis ſuæ teſtes: non propius, quia commendabat ſolitudinem, quoad fieri poteſt, in oratione, ut in ea liberius profluant lacrymæ. Signanter autem dicit Evangeliſta, & non ſine energia: *Avulſus eſt.* Quo verbo declarat illius in ſuos amorem, declarat & mœrorem. Vterque facit ut homo adhæreſcat naturaliter amicis a quibus ſolatium poteſt elicere, ſed quia docere volebat relicto mundi ſolatio recurrendum eſſe ſecreta oratione in anguſtiis ad Dei auxilium, ideò avulſus dicitur ab eis. Vbi eras, tunc, O Maria! Nunquid & à te avulſus eſt dilectiſsimus filius tuus? Certè non poterat eſſe immemor tui, nec doloris, quo poſtmodum eras affligenda, & ad intimum uſque cordis excruciãda; ſive dum reſciveris eum in manus crudeles impiorum traditum; ſive dum occurreris ſub Cruce fatiſcenti; ſive dum adſtiteris pendenti. In hac ergo conſideratione futuri mœroris & doloris tui atrociſsimi, non potuerunt non concuti filij peramãtis viſcera, non potuit, non augeri eius triſtitia. Et ideò ſi avulſus dicitur à diſcipulis progrediẽs ad auſpicandam paſſionem, multò magis à te avulſus dici poteſt, qui amore incomparabili tibi erat conjunctiſſimus.

*Cur dicatur Chriſtus à ſuis avulſus.*

Dicamus & hic, quod Chriſtus lapis eſt myſticus, qui avulſus à diſcipulis quantum eſt jactus lapidis, in hoc campo certaminis percutit Goliam Tartareum in fronte: Lapis eſt *abſciſſus ſine manibus*, qui in hac oratione myſticam in pedibus percutit ſtatuam, hoc eſt, totam Dæmonis poteſtatem.

*Chriſtus lapis myſticus à ſuis avulſus.*

Sed videamus orationis eius modum & circumſtantias.

*Circumſtantiæ orationis Chriſti.*

1

*Procidit in faciem*

Primò quidem, non ei ſatis eſt genua in terram orando ita flectere, ut dicat Beda veſtigia eorum in lapide remanſiſſe; ſed etiam divinam voluit faciem in terram proſternere profundiſſima humiliatione, quaſi oblitus ſe Filium Dei, ſeque illum eſſe coram quo *ſeniores viginti quatuor in facies ſuas cadunt, & adorant viventem in ſæcula ſæculorum.* Apoc. 5. Sed quia hic peccatorum omnium perſonam gerit, & illa expianda in ſe ſuſcepit, quaſi non foret dignus videre altitudinem cœli præ multitudine iniquitatis humeris ſuis incumbẽtis, in terram cum confuſione deprimitur: apertè quoque declarat quàm ſit onus grave peccati, cum

quo

quo ruit Lucifer è cælo in abyſſum; ita ut hoc o-
*Iob. 37.* nus, *tali quaſi ære fuſi*, ſecundum Prophe-
tæ dictum, ſuſtinere non voluerint: quod &
nunc adeò gravat Filium, ut eum in terram
*Pſ. 128.* proſternat, quia *ſupra deorſum eius fabricave-
runt peccatores*, & iniquitates eorum ſuper-
greſſæ ſunt caput eius, ita ut illud incurvare
*Thren. 8.* cogatur, & *ponere in pulvere os ſuum; ſi fortè ſit
ſpes.*

2. Secundò, hinc fit hæc ſit eius oratio: *Pater
*Ter eandem orationem reperit.* mi ſi poſſibile eſt, transeat à me calix iſte.* Sed, ut S.
Marcus habet: *Abba, Pater, omnia tibi poſſibilia
ſunt transfer calicem hunc à me.* Nec ſine emphaſi
eſt, quod apud S. Matthæum dicit. *Pater mi*, cum
alias Patrem orans ſolũ dicat *Pater*, aut *Pater ſan-
cte*, vel *Pater iuſte*: ad amorẽ enim nunc & fiduciã
ſpecialẽ in anguſtia ſeſe excitare videtur, ut ſe in
hoc præbeat exemplum anguſtiatis. Nõ etiam ſi-
ne emphaſi eſt, quod apud Marcũ dicit: *Abba, Pa-
ter*; ubi utrumque nomen conjungitur idem ſigni
*Rom. 8.* ficans. Quapropter & Apoſtolus utrumque idem
*Gal. 4.* nomen conjungit, dicens nos accepiſſe *ſpiritum,
in quo clamamus, Abba. Pater.* Cujus rationem a-
libi indicavimus.

*Cur ter tio repetierit.* Neque ſine myſterio ter eandem orationem re-
petit, eandemque vocem. Sic enim voluit nos do-
cere in oratione non ſolum fiduciam. ſed & perſe-
verantiam. Neque enim mox debemus animum
deſpondere, ſi non exaudimur. Sic & Apoſtolus
ter dicit ſe Dominum rogaſſe, ut ſtimulus car-
nis auferetur à ſe; nec animum abjecit, do
*2. Cor. 12.* nec cœleſtis ei vox inſonuit: *Sufficit tibi gratia
mea, virtus enim in infirmitate perficitur.* Sic Elias
*3. Reg. 17.* ter ſe expãdit ſuper puerum Sunamitidis clamans
ad Dominum, ut reverteretur anima pueri in ejus
viſcera. Hic ergo numerus ob ſuam perfectionem
convenit abſolutæ & perſeveranti orationi, ideo-
que Chriſtus Dominus ter eundem ſermonem re-
petiiſſe dicitur. Nec tamen ſolum cenſendum eſt
jaculatoriam fuiſſe ejus orationem, ideoque bre-
viſſimam Videtur enim fuiſſe unius circiter horæ,
*Exempla SS. paucis verbis affectuoſe orantiũ.* ut propterea exprobret ſuis: *Non potuiſtis una hora
vigilare mecũ?* Sic & Sancti paucis verbis orando,
longam moram traxiſſe leguntur magno & perſe-
veranti affectu ruminando, & inſtãdo in eo quod
orabant. Sic Sanctus Franciſcus noctes integras
in his verbis conterebat: *Deus meus, & omnia,*
Sic Sanctus Auguſtinus in illis multas horas con-
ſumebat: *Domine, noverim te, noverim me. Quis tu?
quis ego?* Sic S. Tereſa in illis: *Miſericordias Domini
in æternũ cantabo.* Sic Sanctus Carolus paulo ante
mortem in monte Varallo, (ubi paſſionis Domini
in diſtinctis ſtationibus imagines repræſentãtur)
octo horas cõtinuas inſumpſit, ad mortem ſe præ-
parans, & Calicem Domini labiis cordis rumi-
nans, conſors amoris & amatoris illius effectus,
quẽ Dominus in Horto & Monte Oliveti perſen-
ſit. Quapropter in ægritudinis extremæ lectulo
decumbens voluit ad pedes ſuos appendi imagi-
nem agoniæ Chriſti, quam fixo & pio ſemper in-
tueretur aſpectu. In eam oculos finaliter dirigens,
ſimul & animam & vitam in manus & in cor Ieſu
anguſtiati tradidit.

Sed, ut ad Chriſti orationem revertamur, mi- *Oratio*
rũ certe quod ſic oret: *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tran- Chriſti.*
*ſeat à me calix iſte.* An ignoras ô benigniſſime Re-
demptor, Patris tui decretum? An fors neſcius es
tot Prophetiarum & oraculorũ, quæ in tua debent
Paſſione compleri? An non oblatus es quia volui-
ſti, & perfecta quidem voluntate? An non hæc tua
vox eſt ad Patrem: *Holocauſtum pro peccato non po- Pſal. 39.*
*ſtulaſti: tunc dixi. Ecce venio?* Utique in holocau-
ſtum immolandus ad expirationem omnium pec-
catorum veniſti. Cur ergo nunc hæſitare & vacil-
lare videris? Nunquid aſſeruiſti te bibiturum Ca-
licem hunc, quando filiis Zebedæi dixiſti: *Poteſtis
bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Et certe ni-
ſi tu illum bibas, nemo poterit bibere: non poteri-
mus ſanitatem conſequi, qui ſumus membra tua,
niſi tu, qui caput es, potionẽ ſumas pro membris.
Bibe ergo, bibe ad ſanitatem totius mundi, & a-
maritudinem ex parte tolle, ut & in tua membra
tranſeat calix iſte per te. Sequentur enim te innu-
meri Martyres, de Paſſionis calice bibituri, ſed
poſt te, & per te. Bibe Calicem hunc Paſſionis à
Patre tibi præſentatum; longo bibe tractu & hau-
ſtu Ne terrearis, licet plenus ſit tot lachrymis, tot
opprobriis, tot flagellis, tot ſpinis. Bibe Cali-
cem refertum amaro felle, clavis transfigentibus,
doloribus acerbiſſimis, tormentis horribilibus,
morte ignominioſiſſima & doloroſiſſima. Sic e-
nim decretum eſt, ut alii poſt te bibant, & te imi-
tentur.

Hæc equidem omnia ſciebat Chriſtus, ſed vo-
lebat exprimere affectum humanum & naturalẽ
cum morte, præſertim adeo atroci, repugnantem
& luctantem. Caro enim luctabatur adverſus ſpi-
ritum: qua lucta volebat ſignificatum, ſe verè cor-
poris ſenſus, & animi ſuſcepiſſe affectus. Sed ut
ſpiritum viciſſe oſtendat.

Tertiò ſubjecit: *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Dei voluntati*
*Fiat voluntas tua.* De qua voce loquitur Sanct. *Chriſtus*
Leo: *Hæc vox capitis, ſalus eſt totius corporis. Hæc ſe ſubiicit.*
*vox omnes Fideles inſtruxit, omnes Confeſſores ac-
cendit, omnes Martyres coronavit. Nam quis mun-
di odia, quis tentationum turbines, quis poſſet perſe-
cutorum ſuperare errores, niſi Chriſtus in omnibus
patiens Patri diceret: Fiat voluntas tua?* Addit
poſtmodum S. Leo verba ab omnibus ponderãda,
& cordi recondenda: *Diſcant hanc vocem omnes
Eccleſiæ filii, magno pretio redẽpti, gratis juſtificati,
& cum adverſitas violenta alicuius tentationis in-
cubuerit, præſidio potentiſſimæ rationis vocantur, ut
ſuperato tremore formidinis, accipiant tolerantiam
paſſionis.* Quod Sanctus Leo monet, & Chriſtus e-
docuit verbo & exemplo veri Chriſtiani ſe di-
diciſſe, inter tormenta & adverſa oſtenderunt.
Hæc enim facta eſt exinde vox amantiſſima Dei

amatoribus: *Pater, nõ ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Fiat voluntas tua.* Propterea etiam Eccleſiæ ſuæ hoc nomen novum indidit: VOLUNTAS MEA IN EA. Sic enim habemus apud Iſaiam: *Non ultra vocaberis Derelicta, ſed vocaberis, Voluntas mea in ea.*

*Iſa. 62.*

*Exempla SS. volũtate Dei ſe tradẽtium.*

Sic S. Catharinæ de Genua quondam in ſpiritu dixit Dominus. *Ex omnibus ſacris eloquiis hanc ſumes vocem pro fundamento perfectionis. Fiat voluntas tua.*

*Vid. Drexel. in Heliotr. l. 1. c. 1.*

Sic S. Gertrudis divinitus inſpirata, legit aliquãdo trecentis ſexaginta quinque vicibus hæc eadẽ verba Evangelica: *Non mea, ſed tua voluntas fiat, amantiſſime Ieſu.* Quod etiam ſenſit Domino plurimum placere. Tot autem ſunt dies in anno. Et hoc in praxim Roſarii reſignationis propriæ volũtatis à piis Viris jam redactũ eſt. Vide Bloſium in Monili ſpirituali, cap. 11 & ejus Elucidatorem in poſtrema totius Operis Bloſiani editione, mihi fol. 608 ubi multa de hac voce, *Fiat voluntas tua.* Refert enim ibi, quomodo S. Gertrudi Chriſtus apparuerit, qui ferens in dextera ſua ſanitatem, & in ſiniſtra infirmitatem, monebat eam, ut eligeret quã vellet. Illa vero ab utraque Domini manu ſe avertens, dixit: *Domine, ego toto corde deſidero, ut nõ meã voluntatem reſpicias, ſed tuum beneplacitum in omnibus perficias.* Hoc laudans Dominus, dixit: *Qui vult ut ad ipſum libere veniam, debet mihi clavem propria voluntatis reſignare. Quod ſi ex humana fragilitate eam reſumere contigerit, mox pœniteat, ac eam iterato reſignet, & ſuſcipiet eam dextera miſericordia mea, deducetque ad regnum claritatis æterna.*

*Cur ab angelo confortationem Chriſtus acceptaverit.*

Quarto illud adverte: *Apparuit ei Angelus confortans eum* in oratione. Vide quomodo Deus, qui eſt beatitudo & conſolatio Angelorum, quique omnes habet theſauros ſapientiæ & ſcientiæ, à quo Cherubim & Seraphim illuminantur, quaſi ſui oblitus, ab Angelo & creatura ſua cõſolationem admittit. Non quod egeret, ſed ad inſtructionem noſtrã ſic voluit fieri, ut veritatem doloris oſtenderet. Voluit ergo ipſe, qui nõ poterat vel nutare, vel vinci à triſtitia, nihilominus *per omnia fratribus aſſimilari*, nec ſpernere confortationẽ per Angelũ à Patre miſſam. Quam autem confortationem & conſolationẽ ei Angelus propoſuerit, quisve ille fuerit non ita certum eſt. Quidã Michaelem fuiſſe putant, Primatem cœleſtis exercitus, cujus nomen interpretantur, QUIS UT DEUS? Quaſi illi diceret illud Iſaiæ: *Conſurge, cõſurge, induere fortitudinem brachium Domini. Nunquid non percuſſiſti ſuperbum, & vulneraſti draconem? Nunquid nõ ſiccaſti mare, aquam abyſſi vehementis? Quis tu, ut timeas ab homine mortali?* Animabat ergo eum ad cruentam cum hoſte victoriam; quia & ipſemet Michael olim victoriã reportarat, virtute ejus, de Lucifero, Dracone antiquo. Alii putant fuiſſe Gabrielem, cujus nomen interpretatur, FORTITUDO DEI. Ipſe annunciarat ejus adventum Virgini, ac conſummationẽ hebdomadarum in morte Chriſti nunciarat olim Danieli: & ſæpius electus eſt Nuncius cœleſtis in myſteriis Chriſti incarnationẽ & mortem concernentibus. Repræſentaſſe ergo cenſendus eſt Chriſto decretũ Patris, fructum Paſſionis, neceſſitatem redemptionis, adimpletionem prophetiarum, vocem juſtorum in limbo, liberationem expectantium, reſtaurationem in cœlo ſedium Angelicarum, & reſtitutionem filiorum Adæ in Paradiſum. Olim apparuit Angelus, qui Cherub dicitur, cum gladio flammeo prohibens hominem à Paradiſo; hic autem Angelus animat Chriſtum, ut hunc gladiũ ejuſque aciem & flammam ſuo extinguat cruore, & rurſus viam paret ad lignum vitæ.

*Heb. 2.*

*Angelus Chriſto apparens quis fuerit.*

*Iſa. 52.*

*An Chriſti dolor per vocẽ Angeli ſit imminutus.*

Cæterum, licet Chriſtus admiſerit hanc vocem confortantis Angeli, non tamẽ propterea dolor ei imminutus eſt, ſed potius auctus. Sic & vidimus, quod hi qui lugent mortuos, ſi eis conſolationis verbum exhibetur ad triſtitiam innoventur. Ideo & de Chriſto ſubjicitur, quod poſt confortationem Angeli *in agonia factus, orabat prolixius, & factus eſt ſudor eius, ſicut gutta ſanguinis decurrentis in terram.* Nõ dicit ſtillantis, ſed decurrentis, & quidẽ non ſolum veſtes, ſed & in terram, ut maledictionẽ ejus expiaret, quam in eam extorſerat Dominus propter ſanguinem Abelis. De hac re ſic S. Anſelmus, in ſermone de Paſſione Domini. *Anguſtias cordis tui dulciſſimi, ô amantiſſime Redemptor, indicabat certiſſime ſudor ille ſanguineus, qui orationis tempore de ſanctiſſima carne tua guttatim decurrebat in terram. Naturalem carnis tua infirmitatem huiuſmodi indiciis expreſſiſti, quibus doceremur, quia vere languores noſtros portaſti, & non ſine ſenſu doloris paſſionum ſentes percurriſti. O quanta fuit paſſionis tua acerbitas, cuius adhuc abſentis apprehenſione ita naturam concuſſit, ut ſudare ſanguinem cogereris?*

Itaque dicamus, quod Dominus ingrediens hũc Hortum, varios Myrrhæ collegerit ramos, ex quibus Faſciculum confecit & Manipulum Patri ſuo offerendum in odorem ſuavitatis. Vocatur autem *Faſciculus*, quia reſpectu amoris levis videtur & facitis ad ſublevandum: reſpectu tamen infirmæ humanitatis, & humanæ infirmitatis, *Faſcis eſt & onus graviſſimum*, ſub quo ruit, & in terram non ſolum genibus & facie proſternitur, ſed etiam omnibus ſuis membris ſudat, & quidem ſudore ſanguineo, & à ſæculis non audito.

*Varii Myrrhæ Dominicæ rami.*

Quod ſi Ramos particulares hujus Myrrhæ in Faſce iſto contentæ vis noſſe diſtinctius, conſidera cauſas triſtitiæ & doloris ejus; quot enim cauſæ illius angoris, tot rami ſunt myrrhæ.

Primus ergo *Ramus Myrrhæ*, dici poteſt Triſtitia, quam concepit ex vivaciſſima apprehenſione omnium tormentorum, quæ paſſurus erat toto paſſionis ſuæ tempore. Jam enim coniunctim patiebatur viva imaginatione, quicquid erat paſſurus diverſis horis.

Secun-

Secundus *Ramus Myrrhæ*, dici poteſt Triſtitia orta ex apprehenſione omnium peccatorum, præteritorum, præſentium, futurorum, quorum ponderabat multitudinem, enormitatem, damnum æternum, injuriam Dei infinitam.

Tertius *Ramus Myrrhæ*, dici poteſt Triſtitia orta ex cōſideratione exigui fructus paſſionis ſuæ erga multos, qui propter cæcitatem & ingratitudinem non erant uſuri pretio ſanguinis diurni pro ſe fuſi, totque exantlatos labores aſpernaturi erant.

Quartus *Ramus Myrrhæ*, dici poteſt Triſtitia orta ex populi ſui reprobatione, poſt tot beneficia ei impenſa, tam antiquitus, quam illo ipſo tempore, quo *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus.*

Quintus *Ramus Myrrhæ*, dici poteſt Triſtitia orta ex præviſo ſcandalo diſcipulorum, ex perditione Judæ excidentis è collegio ſuo & ſchola: adde ex Matris ſuæ præviſus anguſtiis.

Sextus *Ramus Myrrhæ*, dici poteſt Triſtitia orta ex conſideratione omnium tormentorum, dolorum, afflictionum, quas paſſuri erant omnes electi. Hæc omnia ipſe diſtinctiſſime noverat, & in his quaſi in membris ſuis patiebatur ex tunc apprehenſione vivaciſſima.

*Chriſtus diſcipulos dormientes invenit.*

Porro poſt orationem regreditur ad diſcipulos, quorū haud oblitus fuerat, ſed in pectore & corde geſtabat. Invenit autem eos dormientes. Hic ſomnus cor ejus acerbe ſauciabat, quia præſignabat ſomnum infidelitatis quo mox gravandi erant. Adhortatur eos ad vigilandum & orandum, & modicum ſuſtinendùm; unde merito cōqueritur, quod vel una hora non potuerint vigilare & orare ſecum; & maxime Petrus, qui magna promiſerat. Verum ipſe ſolus orat, & pro omnibus orat; ipſe ſolus vigilat, & pro omnibus vigilat, quia pati jam incipiebat pro univerſis, ut & illud nūc adimpleri
*Iſa. 63.* inciperet: *Torcular calcavi ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum.* Torcular agoniæ ſuæ ſolus incipit calcare, aut in illo calcari, quaſi uva electa. Laborē & agonem nō poſſunt cum illo ferre Apoſtoli, vel ſolum vigili oculo & mente perſtādo in oratione. Ipſe ſe incipit in victimam Patri offerre per obedientiſſimam voluntatem & reſignationem perfectam: illi autem jam ſe caſuros ſignificant per ſomnolentiam.

Audi quid Sapiens dicat de ſummo Pontifice; & attende, an nō apte noſtro conveniat Pontifici JEſu Chriſto, jam in horto ſacrificiū ſuum exordienti, ut illud conſummet in cruce: *Conſummatione*
*Eccl. 50.*
*fungens in ara, amplificare oblationem excelſi Regis, porrexit manum ſuam in libatione, & libavit de ſanguine uvæ, effudit in fundamēto altaris odorem divinū excelſo Principi.* Hortus certe ille inſtar Templi eſt & Aræ, ubi Chriſtus Sacerdos perfecto & cōſummato munere ſacrificii fungens reperitur, ſive ultimas ſacrificii partes exequens, & ſacrificium perficiens. Ibi ergo oblationē facit & orationem,

*Chriſti in horto oblatio.*

ac in oblatione & oratione ſua elevat manus ad Regem excelſum, Patrem ſuum æternum, & libat ſive offert ſacrificium de ſanguine uvæ nobiliſſimæ, de cruore carnis ſuæ: *effunditque ſanguinem illum uvæ in fundamento altaris*, cum illum effundit in horto, fūdamēto crucis. Cujus oblationis odor ſuaviſſimus eſt *Excelſo Principi*, quia gratiſſima eſt Deo Patri, illam ſuſcipienti in redemptionem totius mundi. Sæpius autem mentis noſtræ oculis Chriſti Domini in horto oblatio obverſari deberet, ut in nobis acueret devotionem. Audi, & vide hujus rei exemplum.

S. Lyduina Virgo celebris Hollandiæ, & illuſtris *Exempl.*
Sponſa Chriſti, quodam die in raptu ad hortum Olivarum ducta fuit, ubi Chriſtus Sanguinem ſuum fudit. Cum ergo diligentiſſime notaſſet, qua forma ibi oraſſet, & ſudaſſet, ſeq; Patri obtuliſſet, cumque hæc pientiſſime ſecum conſideraſſet, & diu mente revoluiſſet, Chriſtus, Sponſus Virginū, oſculum ei præbens, amantiſſimis verbis eā invitavit, ut ſecum procederet ulterius ad montem Calvariæ. Cui illa: *O benigniſſime Domine, perlubens* *In vita*
*illuc pergam, etiamſi oportuerit me mori tecum, nō te* *S. Lyduina.*
*deſeram, non te negabo.* Illuc ergo etiā in raptu ducta fuit, ſed ubi ad ſe reverſa eſt, corpus ejus quaquaverſum ſignatū reperiebatur livoribus, & vibicibus; labia ei livida erant & tumida, membra velut quaſſata & ſaucia, totum corpus quaſi cōſitum ſpinis & vepribus: at vero de corpore ejus odor ſuaviſſimus exhalabatur, cœleſtis totus quo & cubiculū ejus replebatur. Sic & ipſa ſeipſam offerebat cum Chriſto in odorem ſuavitatis, conformata cōfigurata corpori humilitatis ejus, conformanda poſtmodum corpori claritatis ejus. Hæc triginta ſex annis ægritudine aſperrima cruciata fuit, nihilque habebat familiarius, quam meditationē Paſſionis Domini, modo in Horto, modo in monte Calvariæ. Illius ergo exemplo animæ pietati deditæ ſæpius Hortum illum viſitent, & ſudoris ejus guttas pretioſas recolligant in ſpiritu, ac cordi reconcidant; quas nonnulli pii Auctores *Pet. Ca-*
ex quibuſdam revelationibus dicunt fuiſſe in nu- *lent. in*
mero nonaginta ſeptem millium cum treecentis & *via Cru-*
quinque. *cis & alii.*

## LECTIO II.

*De proditione Iudæ, & de ejus ac militum in Horto proſtratione.*

*CONgregati fuerant Principes Sacerdotū & Seniores populi præcedenti die*, ſive feria quarta, (ut inſinuat S. Matthæus cap. 26.) *conſilium ineuntes, ut Ieſum dolo tenerent & occiderent.* Hic adimplentur figuræ antiquæ. Sic enim olim conſilium iniiſſe leguntur filii Jacob contra fratrem ſuū Joſeph, æmulatione moti. Sic & Princeps Chaldæorum contra Danielem, eadem invidia ſtimulante. Sic & Principes populi ſeſe aggregarunt contra

*Hier. 11.* Hieremiam, dicentis: *Eradamus eum de terra viventium.* Sic denique Abſalon cum Achitophele moliuntur Davidis necem. In hoc autem conſilium impiorum, inſtigante Satana, advenerat Judas; & in cathedra peſtilentiæ ſedens, ultro ſeſe obtulerat, dicens: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* At illi conſtituerunt ei triginta argenteos. *Et ſpopondit, & exinde quærebat opportunitatem, quomodo opportune illum traderet ſine turbis.* Quia autem ſciebat locum, in quem conveniebat frequenter Jesus nocturno tempore ad orationem; ideo & illuc venit cum cohorte, cum dediſſet eis ſignum: *Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum.* In hac porro pactione, venditione, traditione, relucet graviſſima injuria Domino facta, cor ejus transverberans acerbiſſime.

*1. Vilitas pretii factam iniuriam Christo auxit.*

Primo quidem ex vilitate pretii. Erant enim 30. argentei 30. ſicli. Siclum autem multi ut Pererius, Mald. & alii, valere putant idē quod florenus noſter ordinarius valet, hoc eſt, quatuor Regales Hiſpanicos, ita ut eſſent triginta floreni. Alii dicunt, Romæ & Pariſiis oſtendi adhuc nummum unum ex illis quos Iudas projecit in Templum, & non valere niſi medium ſiclum. Ita Budæus, Suarez; Ribera, & alii. Si eſſent ſolum quindecim floreni argentei. Sed forte ideo qui Pariſiis, oſtēduntur, ſunt ſolū medii ſicli, quia potuere Iudæ fuiſſe ſoluti aliqui medii ſicli, conſtituendo duos medios ſiclos pro uno integro; ita ut ſumma triginta ſiclorum conſtitueretur, partim ex integris, partim ex mediis ſiclis. Quicquid ſit de præciſo valore, certum eſt vile fuiſſe pretium, ita ut conqueratur Dominus apud Prophetam, ironice dicens: *Decorum pretium, quo æſtimatus ſum ab eis.* Et certe videtur fuiſſe pretium, quod Iudæi olim dabant pro mancipiis. Nam ſacer Textus præcipit, ut pro ſervo, aut ancilla, à bove cornupeta occiſis ſolvantur Domino triginta ſicli argentei. Tanti ergo ſibi ad mortem tradendum emerunt Judæi Dominum, quanti ſervum occiſum redimere ſolent. Tanti emerunt innocentis vitam, quanti vilis ſervi ſolent redimere mortem. Sed & hoc erat abominabile facinus, vendere pro argento innocentem. *Super tribus ſceleribus Iſrael & ſuper quarto non convertam eum, pro eo quod vendiderit pro argento iuſtum.* Et ſcriptum eſt: *Si deprehenſus fuerit homo ſollicitans fratrem ſuum de filiis Iſrael, & vendito eo acceperit pretium, interficietur, & auferes malum de medio tui.* Hanc legem conſiderans Adrianus Cæſar, decem ex Iudæis viros præcipuos horribilibus cruciatibus interemit, quia fratrem ſuum Ieſum vendiderant. In captivitate quoque Iudæorum & Hieroſolymæ dicuntur pro triginta denariis trecenti Iudæi divenditi fuiſſe alienigenis, ut ſervirent tanquam mancipia. Et hoc rurſus in pœnam horum triginta argenteorum ſeu denariorum, quibus Chriſtum emerant.

*Zach. 11.*
*Exod. 21.*
*Amos 2.*
*Deut. 24.*
*Ita refert Targum Hieroſol.*

*2. Iniuria Christo facta augetur, quod à diſcipulo ita vendatur.*

Secundo, aucta eſt injuria in Chriſtū, eo quod ab electo diſcipulo venditur, & tam vili pretio æſtimatur. Unguentū æſtimarat trecentis denariis, & nunc tam parvi æſtimat vitam illius, in cujus gratiam unguentum profuſum fuerat. Damnum quod ex effuſione unguenti accepiſſe ſibi videbatur, Magiſtri pretio vult compenſare, inquit Rupertus. Quia cū loculos haberet, & fur eſſet, decimā partem eorum quæ dabantur, ſolitus erat furari: & quia 300. denariorum decima pars erant triginta argentei, ideo hoc pretio cōtentus fuit. Sed per hos triginta argenteos, triginta maledictiones in caput ſuum accerſivit, quæ deſcribuntur Pſalmo 108 ut ibi nonnulli notant Interpretes.

*v. Ruper. in c. 26. Matth.*
*v. Corn. à Lap. in c. 1 Act. v. 20.*

O Mercator infelix, & maledicte! Quoniam pretio vendis eum qui inæſtimabilis eſt valoris? Et ad mortem quidem vendis, & inimicis vendis? O miſer, ſcire debebas, quod vel unica ſanguinis ejus gutta ſufficientis ſit valoris ad redimendum totum Orbem: tu vero ita vili pretio vendis? Ipſe non tam parum æſtimat animam tuam, quam & ſanguinis ſui profuſione paratus eſt redimere. Sed ſi te auri cupiditas vicit, cur non potius amicis vendis? O quantum tibi plus dabat Magdalena, quantum Martha, quantum Mater ejus deſolata; quæ ſi non aliud poſſet dare, ſaltem pretio infinitarum lachrymarum deſideraret redimere. Sed & filiæ Ieruſalem ejus capillos plus ducentis forſan ſiclis emerent, quandoquidem pulchriores ſint capillis Abſalonis, quos eo pretio emerunt.

*2. Reg. 14*

Hanc impietatem Iudæ conſiderans S. Leo ſic eum alloquitur: *Tu, ô impiiſſime homo, ſemen Chanaam, & non Iuda, non iam vas electionis, ſed perditionis, ita diabolice inflammaris avaritiæ facibus, ut ad triginta argenteorum inardeſceres lucrum, & quid divitiarum amitteres, non videres. Imperabas Dæmoniis, medebaris infirmis, honorabaris cum Apoſtolis, & ut famem tuæ cupiditatis expleres; patebant tibi furta de loculis. Sed animum interdictorum admonitum, quod minus licuit amplius incitavit; nec tam placuit quantitas pretii, quam magnitudo peccati. Vnde facinus commercii tui, non ita deteſtandum eſt, quia Dominum viliter æſtimaſti; ſed quia Redemptorem tuum, ne tibi parceret, vendidiſti.* Hæc S. Leo.

*3. Augetur iniuria Christo facta, quod oſculo tradatur.*

Tertio, etiam ex hoc increſcit injuria, quod oſculo eū tradit ingratiſſimus hic diſcipulus pacis & amicitiæ ſignū vertens in crudelis proditionis argumentum. De hac injuria atroci conqueritur ſpecialiter Dominus per Prophetam: *Homo pacis meæ, in quo ſperavi, qui edebat panes meos: magnificavit ſuper me ſupplantationem.* Quaſi dicat: Homo, qui verbis & factis habere pacem mecum ſimulavit, dum me prodendo eſt oſculatus, in quo ſperare debui quaſi ſervo fideli, quique commenſalis meus erat & familiaris, cui non ſolum corporalem panem, ſed etiam ſacramentalem communicaveram; magnificam ſuper me fecit deceptio-

*Pſ. 40.*

ceptionem, me tradendo hoſtibus, ut ſub plantis eorum conculcaret. Certe de Iuda prophetice mẽtionem hic fieri, ſatis indicat illud Domini de eodem: *Qui manducat panem meum, levabit calcaneum ſuum contra me.* Quo ſpectat & illud: *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique,* hoc eſt, illud magis tolerabile fuiſſe. *Tu vero homo unanimis Dux meus, & notus meus, qui ſimul mecum dulces cibos capiebas.* Tu maledixiſti mihi apud Phariſæos, offerens te ultro, dum conſilium inirent adverſum me; & calumnias mihi impegiſti qui debebas eſſe eiuſdem mecum animi, quem elegeram in officio diſpenſationis ducem & rectorem, & familiaritate ſpeciali mihi adjunxeram. Hoc certe parum tolerabile videtur poſt tot beneficia. Sed hoc etiam plane perfidum & execrandum, quo ſigno notitiæ & unanimitatis abuſus fueris, ut ſigno latrocinii & perditionis: *Iuda, oſculo Filium hominis tradis;* Hæc verba ponderanda ſunt.

*Ioan.13.*

*Pſ.54.*

*Iudam apud Phariſæos multa calumnioſe dixiſſe veriſimile eſt.*

Sic ea eleganter & energice ponderat S. Ambroſius in Pſalm. 39. *Venenum infundis oſculo, quo gratia charitatis infunditur; Oſculo, quod ſacræ pacis eſt inſigne? Oſculo, quo amicitia fida firmatur? Oſculo, quo fides ſancta firmatur! Hoc ergo oſculo tradis periculo, quem ob oſculi commercium debueras venerari. Et tradis Filiũ hominis, qui ex te peccatore fecit Apoſtolũ: Filium hominis tradis, qui venit ut in ſanguine ſuo omnium peccata dilueret: Ego oſculum non nego, ipſe videris, qui oſculi violaveris ſanctitatem.* Hæc S. Ambroſius.

Chriſtus itaque non negavit oſculum Iudæ, qui illud inſtituerat ſymbolum ordinarium charitatis inter ſe & diſcipulos, ita ut Magiſtrum ſalutare ſolerent diſcipuli ſancte oſculando. Et hæc fuit benignitas Salvatoris, labia ſua ſanctiſſima & dulciſſima ad putidum os, plenum ſordibus & malitia, per quod intraverat Diabolus, & accepta buccella, admovere. Ipſum tamen etiam verbo voluit ſerio admonere, adjungens. *Amice, ad quid veniſti.*

*Benignitas Chriſti non Iudæ oſculum.*

Hæc eſt vox improperantis ſimulationem, ſimulque admonentis eius conſcientiam. *Amicum* vocat, non quod diligeretur ab eo, ſed quod ipſum diligeret, eique bene vellet, ac de eius perditione doleret: ſic his eum verbis ad mentem vult reducere, ut cogitet amicitiam priſtinam, & criminis inde ſui immanitatem. Notant autem nonnulli in Evãgelio ſolere Dominum malos hoc nomine compellare. Malus erat is, cui dicebatur: *Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* Ille quoque malus erat, cui improperatur: *Amice, non facio tibi iniuriam, tolle quod tuum eſt, & vade.* Pravus igitur erat Judas, cui dicitur hic: *Amice, ad quid veniſti.*

*Quo ſenſu Iudas amicus à Chriſto dicatur,*

*Matt.20*

*Matt.22.*

Idem porro eſt, ac ſi dicat: Itane de te meritus ſum, Iuda; Memineris te amicum. *Num peccavi in te, lavans pedes tuos, curvans genua, reficiens te Corpore & Sanguine meo: Amice, ad quid veniſti: Adeone triginta me argenteis viliorem habes? Cur à me averſus es, qui Apoſtolatus te titulo honoravi, in deliciis nutrivi, ſollicite quaſi proprium filium inſtitui? Cur me dereliquiſti, & coniunctus es ſervus Diaboli? Cur ad avaritiam declinavit cor tuum, & me ſummum bonum vili pretio vendens reliquiſti, qui cœlũ & terram dito? Amice, ad quid veniſti? Ad te ipſum, quæſo, intro convertere, redi ad cor? vide quo deveneris, adverte quid feceris. Porta gratiæ & amicitiæ necdum tibi clauſa eſt: ſi volueris reverti & pœnitere, ſuſcipiam te ulnis amoris & miſericordiæ.* Ita Abbas Bloſius, in Margarito ſpirituali, p. 3. c. 3.

Certe Chriſtus, qui non vult mortem peccatoris, omni modo Iudam reducere conatus eſt. 1. Poſt venditionem adhuc toleravit eum in ſocietate Apoſtolorum & priori familiaritate dignatus eſt. Sic beneficentia & amore voluit eum devincire, ad menſam recipiens, amanter loquens, pedes lavans cum genuflexione, & humilitate, & lacrymis.

*Variis modis Chriſtus Iudã revocare conatus eſt.*

2. Voluit eum per pudorem vincere & reducere, coram diſcipulis rei oſtendens indignitatem: *Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet.*

3. Idem conatus eſt facere per minas & metum pœnarum: *Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur, melius foret illi, ſi natus non eſſet homo ille.* Quid ultra potuit Dominus; Sed *immedicabile fuit vulnus, quod nec auſteris, nec dulcibus medicamentis voluit obedire,* inquit Sanctus Chryſoſtomus. Væ, væ, væ cordi quod locum cœpit dare Diabolo, & ſe ſeparare à Chriſto: quia in profundum tandem ſeſe malitiæ immergit, & contemnit.

Attendamus interim hic Chriſti erga proditorem benignitatem ineffabilem, ut non deſperemus unquam de miſericordia. O Ieſu benigniſſime, ſi traditori, ſi inimico, ſi infideli ſervo, ita ex animo bene affectus fuiſti, & ita revocare eum conatus es ut ſalutares: quid charis facies amicis tuis, qui te toto corde quærunt, ſitiunt, & diligunt; O anima, quæcumque impatiens es, & ſæva, ac vindictæ appetens, quæque unico verbo ad iram, contumelias ultionem commoveris, attende, quæſo, uti Chriſtus non dedignatus ſit alloqui viliſſimum proditorem ſuum, amicum dicere, & ſuaviter, oſculari. Tu vero præteris proximos tuos, eis loqui contemnens, talique dedignatione ad odium eos provocas; ſicque animas illorum perdis, quos ſuavi verbo placare, & ad charitatem movere poſſes.

*Morale ex benignitate Chriſti.*

Attendamus quoque caſum, ingratitudinem, obſtinationem Iudæ, & timeamus; quia nullus ſtatus exemptus eſt à periculo & tentatione. Abſcindamus autem radicem & occaſionem caſus eius, malorum ſcilicet frequentationem & pravam cupiditatem, quæ eum in tantum malitiæ barathrum potuit pertrahere. *Amore pecuniæ vilis eſt omnis affectio,* inquit S. Leo, *& anima lucri cupida*

*Morale ex lapſu Iudæ.*

itiem

*tiam pro exiguo perire non metuit; nullumque eſt iuſtitia in illo corde veſtigium in quo ſibi avaritia fecit habitaculum.* Ita S. Leo de Juda loquens. Cui & illud convenit poetæ:

——— *Quid non mortalia pectora cogis,*
*Auri ſacra fames*

Dicebat alter Judas Apoſtolus in Epiſtola ſua verſu 11. *Væ illis qui in viam Cain abierunt & errore Balaam mercede effuſi ſunt, & in contradictione Core perierunt.* An non Judas *in viam Cain abiit,* tradens & fundens ſanguinem fratris ſui innocentis; An nõ *errore Balaam mercede effuſus eſt;* pro mercede triginta argenteorum maledicens Chriſto, & eum prodens, ſicut Balaam mercedem accepit, ut populo Dei malediceret; An non *in contradictione Core periit,* in contradictione ſcilicet Sacerdotum contra Chriſtum verum Aaron; Si terra corpus nõ abſorbuit, ſicut contigit Core, infernus certe animã deglutivit. Væ ergo illi, & tertio væ.

*Morale ab oſculo Iudæ.* *Pſ.27.* Attendamus denique, ne & nos ſimus de eius ſectatoribus, de illis qui oſculo Filium hominis tradunt. Tales autem ſunt non ſolum qui *pacem loquũtur proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum,* qualium magnus eſt in orbe numerus: ſed etiam tales ſunt, qui indigne ad Sacramentum Communionis accedunt, non præmiſſa debita ſcelerum agnitione & confeſsione. Hi enim quaſi oſculum præbent Filio Dei, & eum peccatis ſuis iterum crucifigendum tradunt. O quam multi de hoc numero Sacerdotes? O quam multi Fideles, qui magna parte vitæ vix ſemel digne accedunt, eandem quã Iudas intulit iniuriam renovantes! O quoties, Domine, à mille ſexcentis annis hanc patienter iniuriam tuliſti! poteras vel Eliæ ignem, vel Ananiæ ſubitam mortem, vel Elymæ cæcitatem eis infligere ad ultionem: ſed mavis charitatis ignem in cordibus eorum accendere ad converſionem, ſi attendere vellent. Hæc eſt benignitas tua, quam etiam teſtatus es erga Iudam. Sed quoniam non recuſaſti proditorium & fallax oſculum faciei tuæ, quãto magis confidimus te non repudiaturum miſerorum peccatorum, ſuam agnoſcentium miſeriam & culpam, oſculum humile, non ad faciem tuam, ſed ad pedes, apud quos cum Magdalena ſemper reperitur miſericordia. Hoc eis inſpira, & lachrymarum gratiam eis dona, ut tuos poſsint rigare pedes cum ſincera pœnitentia. Sed & oſculo & amplexu proditorio benigne ſuſcepto, hoc te apud Patrem promeruiſſe ſcimus, ut animas noſtras, licet olim peccatrices, brachiis charitatis amplectaris, & oſculo veræ pacis & reconciliationis oſculeris, infundendo cordibus pœnitentium verba æternæ ſalutis.

Dato oſculo recedit Iudas ad ſuos, Chriſtus autem ſciens probe quæ ſibi accidere debebant, nihil territus, obviam procedit militibus & hoſtibus ſuis, & dicit eis: *Quem quæritis? Reſponderunt ei: Ieſum Nazarenum Dixit eis: Ego ſum. Vt ergo, dixit eis, Ego ſum abierunt retrorſum, & ceciderunt in terrã.* Nonnulla hic notatu digna ſunt ex SS. Patrum doctrina.

Primò quidem docet S. Cyrillus, l. 11. in Ioann. cap 33. Miniſtros Iudæorum, qui ſæpe in templo *Notat.*
& in civitate ſua Chriſtum viderant, & facie probe agnoſcebant. hic divina virtute prohibitos ne eum agnoſcerent; ſicut olim Sodomitæ excæcati fuere, ne reperirent oſtium Loth. Quod ipſum contigit *Gen.19.*
militibus, qui miſsi fuerant ad comprehendendum Eliſæum. Neque ſolum militibus id contigiſſe, aut miniſtris Phariſæorum, ſed & ipſi Iudæ, *4.Reg.6.*
aſſerit idem Cyrillus cum S. Chryſoſtomo, hom. 82. & propterea dictum fuiſſe ab Evangeliſta: *Stabat autem & Iudas cum illis:* ita ut & ipſe ceciderit retrorſum, & cæcitate quadam ſubita percuſſus fuerit cum aliis, ut agnoſceret nihil ſe ſuo oſculo profeciſſe, quia & illo dato iam non agnoſcebatur Chriſtus: & facile poterat evadere, qui eos ſic poterat excæcare & ſternere. Voluit ergo ſignum divinitatis & omnipotentiæ ſuæ iam capiendus oſtendere; tum ut ad cor redirẽt, aut inexcuſabiles redderentur; tum ut oſtenderet ſe libere animam ſuam ponere. De hac re ſic loquitur S. Leo ſerm. 1. de Paſſ. *Cum impius Iudas, non iam ovina pelle velatus ſed lupino furore manifeſtus, vim ſceleris per ſpeciem pacis incipiens ſignum traditionis ſæviore omnibus telis oſculo præbuiſſet. factum eſt, ut multitudo furibunda inter faces & laternas lumen verum tenebris obcæcata ſuis non cerneret. Dominus autem qui expectare potius turbas, quam declinare delegerat, quem quærant necdum inventus interrogat. Cũque dixiſſet. Ego ſum, manum illam ex ferociſſimis congregatam quaſi quodam fulmineo ictu ſtravit atque perculit, Vbi fuit ſævitia conſpirationis? ubi ardor irarum? ubi inſtructis armorum? Dominus dicit. Ego ſum, & ad vocem eius turba proſternitur impiorum, Quid poterit maieſtas iudicatura, cuius hoc potuit humilitas iudicanda.*

Secundo docent SS. patres in hac oculorum detentione ne eum agnoſcerent, & proſtratione in *Nota 2.*
terram, ſignificari excæcationem & caſum gentis Iudæorum, Meſsiam non agnoſcentis: ita ut adimpletum fuerit illud. *Convertantur retrorſum, & cõ-* *Pſ.34.*
*fundantur cogitantes mihi mala, Fiant tanquam pulvis ante faciem venti,* Item illud: *Et erit eis ver-* *Iſai 28*
*bum Domini: Manda, remanda: expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi: ut vadant, & cadant retrorſum, & illaqueentur & capiantur.* Figuram horum omnium habes in Heli Sacerdote antiquo, *1.Reg.5.*
cuius caligabant oculi, ita ut non poſſet videre lucernam templi: qui & poſtmodum audiens eſſe captam arcam Dei, cecidit retrorſum, & tali quidem caſu, ut exſpiraret. Quocirca S. Gregorius notat in Scripturis ſacris retrorſum cadere eſſe impiorum, in faciem cadere eſſe electorum. Sic enim ait hom. 9. in Ezech. *Quærendum nobis eſt, cur Ezechiel & Paulus in faciem cadunt, & de aſcenſore equi, id eſt, de eo qui in huius mundi gloria elatus eſt, dicitur. Vt*

*Retrorſũ cadere impiorũ eſt, piorũ in faciẽ.*

*cadat aſcenſor eius retrò.* Et de *perſecutoribus* Domi-
*ni: Abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram?*
*Quid eſt hoc, quod electi in faciem, & reprobi retror-*
*ſum cadunt, niſi quod omnis qui poſt ſe cadit, ibi pro*
*cul dubio cadit ubi non videt: qui vero ante ſe cecide-*
*rit, ibi cadit ubi videt? Iniqui ergo quia in inviſibi-*
*libus cadunt, poſt ſe cadere dicuntur; quia ibi corru-*
*unt, ubi quid eos tunc ſequatur, modo videre non poſ*
*ſunt, Iuſti vero, quia in iſtis viſibilibus ſemetipſos ſpō-*
*te dejiciunt, ut in inviſibilibus erigantur, quaſi in fa-*
*ciem cadunt, quia timore compuncti videntes humi-*
*liantur.* Hæc S. Gregorius. In eandem ſententiam
dicit l. 31. moral. c. 18. *In faciē cadere, eſt in hac vita*
*ſuas culpas agnoſcere, & pœnitendo deflere: Retrò ve-*
*rò, quò non videtur cadere, eſt ex hac vita repentè de-*
*cedere, & ad quæ ſupplicia ducatur, ignorare.*

Nota 3. Tertiò notanda eſt virtus illorum verborum.
Ego sum: Hic dicere poſſumus illud: *Dedit voci*
Pſal. 67. *ſuæ vocem virtutis.* Et rurſus illud: *Vox Domini cō-*
Pſal. 28. *fringentis Cedros.* Fuit enim vox iſta Domini in-
ſtar tonitrui & fulguris, è nube humanitatis (in
qua latebat fulgor Divinitatis) prodiens, oculos
eorum perſtringens, & membra ita perterrefa-
Virtus ciens, ut colliſi corruerent. Hac voce. *Ego ſum,* ſæ-
verborū: pè uſus eſt Dominus ad varios effectus. Hæc eſt
Ego sū. vox quæ tot mirabilia operata eſt in Ægypto,
Moyſis miniſterio, quia nomen eſt Majeſtatis. Sic
enim contra Pharaonem ſuam oſtenſurus Deus
potentiam, præcipit Moyſi, ut diceret: *Ego ſum qui*
Exod. 3. *ſum.* Hac eadem voce, *Ego ſum,* feliciter proſtravit
Paulum; fuit enim tunc inſtar fulguris coruſcan-
tis, & oculos corporis excæcantis, ſed mentis o-
culos ſublimiori luce illuminantis. Hac voce na-
vigantes diſcipulos confirmat, & timorem eis ex-
Matt. 14 cutit: *Ego ſum, nolite timere.* Quam etiam vocem
repetiit poſt reſurrectionem, ut trepidos & vacil-
lantes animaret. Hæc quoque vox profuit Sama-
Ioan. 4. ritanæ, & toti Samariæ: *Ego ſum, qui loquor tecum.*
Sed ſi tanta eſt virtus vocis hominis miſeri proce-
dentis ad mortem, quanta erit virtus potentis Ju-
dicis & vocis illius, *Diſcedite maledicti?* Illa certè
Matt. 25. vox *armabit omnem creaturam,* & non ad tempus,
Sap. 5. ſed in æternum reprobos dejiciet, & quaſi Vox
æterni tonitrui illos in rota conſtituos vertet de
Pſal. 1. tormentis in tormenta. Ideo *non reſurgent impii in*
*iudicio,* hoc turbine proſtrati irreparabiliter & ir-
revocabiliter.

Nota 4. Quartò notatu dignum eſt, quod is qui eos ver-
bo proſtravit, iterum verbo eis ſurgendi poteſta-
tem fecit, & quaſi à morte ſuſcitavit, dum dixit eis
ſecundò: *Quem quæritis: Illi autē dixerunt:* Iesum
*Nazarenū.* Erant ita timore perculſi, & caſu exa-
nimati, ut reſponderi nō poſſent, niſi ipſo eis vires
dante. Reſpondit Iesus: *Dixi vobis quia ego ſum; ſi*
*ergo me quæritis ſinite hos abire. Vt impleretur ſermo*
*quem dixit: Quia quos dediſti mihi non perdidi ex eis*
*quemquam.* Itaque Iudæ & militū cæcitas & ob-
ſtinata malitia hic ſatis pateſcit, qui nihil commo-
ti Divinitatis potentia eos proſternente, inſiſtunt
perſecutioni & furori, aſſerentes ſe quærere Ie-
ſum Nazarenum. Sed, ô miſeri & miſerandi, non
ſatis intelligitis quid dicitis. Nam ſi Ieſum quæri-
tis, Salvatorem quæritis; ſi Nazarenum, Deo con-
ſecratum, & virtute omni floridum quæritis. Vos
autem mortis reum & quaſi flagitioſiſſimum vi-
rum quæritis & quidem in tenebris. Veniet autē
tempus in quo quæretis eum ut Ieſum, ſed nō oc-
curret vobis, quia ab eo dictum eſt: *Dorſum &* Hier. 28.
*non faciem oſtendam eis in die perditionis eorum.* Ad- Matt. 25.
implebitur illud: *Amen dico vobis, neſcio vos.* Si
tunc inveniatis, certè terribilem & crudelem in-
veniatis neceſſe eſt tamquam Iudicem ſeverum, &
Dominum ultionum. Vincula quibus eum alliga-
ſtis, plagæ & vulnera quæ inflixiſtis, vindictam
in vos ſuo accerſent clamore; reſumetque ejus
ſanguis vocem ſanguinis Abel effuſi à fratre. Hoc
non ad Iudæos, ſed etiam ad omnes ſpectat
Chriſtianos, qui in peccatis perſeverantes Chri-
ſtum æquè ac illi perſequuntur. Quæramus nos
Ieſum nunc dum inveniri poteſt, & ut Ieſum
quæramus cum affectu & humilitate, ut poſſimus
ab eo audire idem quod Apoſtoli: *Nolite timere.*
*Ego ſum.* Ego ſum Pater veſter, ego Salvator, ego
Protector, ego ſalus & vita veſtra, cur trepidi
eſtis?

Quod autem Dominus dicit: *Si me quæritis, ſi-* *Magnus*
*nite hos abire,* iterum verbum hoc, verbum divinæ *amor*
fuit poteſtatis, quo furorem eorum repreſſit, ne in *Chriſti*
aliquem diſcipulorum inſurgerent, aut compre- *in diſci-*
henderent. Quod tamen abſque dubio feciſſent, *pulos no-*
quia occaſionem dederunt Apoſtoli, ſaltē Petrus, *lentes eos*
gladium vibrans & vulnus infligens uni ex mini- *lædi.*
ſtris Pōtificis, ſed hujus divini verbi virtus eos co-
hibuit. Magnus interim amor Domini in ſuos e-
luceſcit hic, dum in propria afflictione eorum cu-
ram haud deponit. Fecit autem id, ut ſignificaret
per ſolam ſuam mortem ſalutem hominum effi-
ciendam, juxta prophetiam Caiphæ: *Expedit ut u-*
*nus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat.* I-
dem eſt ergo ac ſi dicat Dominus, Dixi vobis me
Ieſum eſſe quem quæritis, me ergo comprehendi-
te, & nō hos meos diſcipulos, ſed illæſos volo ab-
ire. Ego ſum paratus implere voluntatem Pa-
tris mei, & meipſum offerre pro ſalute hominum.
Ego paratus ſum antiquum delere peccati chy-
rographū ſanguine meo. Ego, ego ſum ille homo
qui debet mori pro populo. Ego, ego ſum ille A-
gnus innocens pro ſalute populi immolandus. In
me facta eſt vobis poteſtas capite, ligate, ad mor-
tē ducite. Nulla vobis in diſcipulos poteſtas, ſini-
te eos abire. Sic Paſtor bonus opponit ſe pro ovib⁹
luporū dentibus & adimplet illud quod dixit: *Ex*
*eis non perdidi quemquam.* Quæ verba ſic intelligē-
da ſunt, quaſi velit dicere ſua culpa & negligentia
neminē illorum periiſſe. Quod quamvis maximè
dictū ſit de morte & perditione ſpirituali, Evan-
geliſta tamē accommodat hic ad perditionē cor-
poris. Et de utraque verum eſt. Nolvit enim Do-

minus comprehendi diſcipulos, & occidi, ne perirent in æternum. Nam erant imperfecti, & comprehẽſi fuiſſent, facilè à Chriſto receſſiſſent, & eũ negaſſent, ut accidit Petro. Vnde ne quoquo modo eorum perditio ſibi poſſet imputari, eorum curam gerit, ne comprehendantur in ſua imperfecta fide, & eorum quiſpiam pereat. Hæc eſt ſententia S. Auguſtini & Ruperti in hunc locum.

## LECTIO III.

*De comprehenſione Chriſti, & de his quæ tunc ab Apoſtolis geſta ſunt.*

FActa ſibi poteſtate, acceſſerunt & injecerunt manus in IESUM: & tenuerunt eum. Videntes autem diſcipuli dixerunt: *Domine, ſi in gladio percutimus?* Memores erant Dominum paulò ante de gladio emendo eos monuiſſe, putabant ergo monitum iſtud reſpexiſſe hoc tempus, & ideo interrogant, ſi percutere tunc licet. Habebant autem gladios, quibus fuerant uſi ad recentem Agni immolationem, ut multi cenſent.

*Chryſoſt. & alii.*

Interim Petrus, nõ expectato reſponſo, percutit ſervum Pontificis, qui fortè primus, vel certè cæteris violentiùs in Chriſtũ inſurgebat, & abſcidit ei auriculam dexteram. Lethale abſque dubio vulnus capiti eius inflixiſſet, niſi declinaſſet. Id verò Petrus ſolito fervore fecit & zelo, ſed nõ ſecundum ſcientiam; ideo à Chriſto reprehenditur triplici ratione & auctoritate.

*Petrus auriculã Malcho amputãs reprehẽditur à Chriſto triplici ratione.*

Primò enim ei dicit: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*; hoc eſt, qui propria auctoritate, & ad vindictã gladio utuntur, digni ſunt qui
1\. gladio pereant, imò & ipſe gladius eis animæ mortem conſciſcit. Petrus autem, licet videatur gladio uſus ad defenſionem, id tamen fecit ſine Domini aſſenſu & auctoritate: & magis vindictã ſpirare videbatur, quàm defenſionem talis percuſſio, quia vana erat defenſio contra talẽ turbam armis inſtructam; magnis nocitura erat, quàm profutura, occaſionem præbens ſæviendi in Chriſtum, tamquam qui contra miniſtros juſtitiæ armis ſeſe tueretur.

2\. Secundò dicit ei: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Quaſi reprehendat eum quòd cõtra ſpecialem Patris ordinationem faciat, & redemptionem impediat jam à Chriſto inchoandam. De quo ſic loquitur S. Leo. ſerm. 1. de Paſſ. *Hunc zelantis Apoſtoli pium motum progredi ultrà Dominus nõ patitur, recondique gladium jubet. Contra Sacramentum enim erat redemptionis noſtræ, ut qui mori pro omnibus venerat, capi nollet, ne dilato glorioſæ Crucis triumpho, & dominatio diabolica fieret longior, & captivitas humana diuturnior.*

3\. Tertiò dicit ei: *An non poſſem rogare Patrem, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum?* Quaſi dicat; Non egeo auxilio duodecim Apoſtolorum, qui poſſum ad manum habere duodecim legiones Angelorũ. Continebat autem legio circiter ſex millia militum. Non ſolùm autem poterat habere duodecim legiones, ſed etiam millia millium, & decies centies centena millia: *Nunquid eſt numerus militum eius?* Sed quid *Iob 25.*
egebat legionibus, qui verbo potuit hoſtes ſuos proſternere? quia poterat vel unum Angelum deſtinare, ſicut olim in Ægypto ad primogenita omnia nocte una perimenda, ſicut & tempore Zennacherib ad octuaginta quinque millia internecioni danda, aut tempore Davidis ad ſeptuaginta millia peſte percutienda? An non & ipſe poterat humum aperire, & omnes abſorbere, ſicut Core, Dathan, & Abiron? An nõ igne cœleſti eos abſumere, ſicut ab Elia factum eſt in quinquagenarium & milites eius aſſeclas? Interim hic diſce legiones eſſe Angelorum, quæ adverſantur legionibus Dæmonum qui homines divexant. Unde quidem ſanatus eſt à Chriſto, quem multi Dæmones poſſidebant & torquebant. Nam faſſus eſt, *Legio eſt mihi nomen, quia multi ſumus.*

*Exod. 12. 4. Reg. 19. 2. Reg. 24. 4. Reg. 1. Marc 5.*

Cæterum, Chriſtus Dominus tum ne daret occaſionẽ hoſtibus in ſe ſæviendi, aut juſta alicujùs occaſionis quòd reſtitiſſet publicæ poteſtati; tum ut oſtenderet ſe liberè & ſpontaneè ad mortem procedere; tum ut exhiberet nobis exemplũ benefaciẽdi hoſtibus, & ab omni ſpecie vindictæ abſtinendi, magna benignitate (quaſi *congerens carbones ignis ſuper caput inimicorum*) exſectã Malchi auriculam reſumens, ſuo loco reſtituit, & ſanavit. O magnã ad mortẽ euntis Domini manſuetudinẽ & bonitatem! O magnam potentiam hominis captivi, & in manus hoſtium traditi! De qua re ſic eleganter S. Leo ſerm. 1. de Paſſ. *Aurem ſervi iã ipſa ſectione demortuam, & à compage viventis corporis alienam, in ſedem dehoneſtati capitis revocat manus Chriſti: reformat quod ipſe formaverat, nec tardè caro ſequitur eius imperium, cuius erat ipſa figmentum.* Hæc S. Leo, conformiter S. Ambroſio, qui etiam dicit hoc factum eſſe ut cognoſcamus ipſum eſſe qui è limo terræ corporis membra variis apta formavit officiis, & infuſo vigore mentis animavit. *Sic ad dextræ Salvatoris attactum vulnera non medicamento aſperſa, ſed tactu obducta ſanantur. Operatorem ſuum limus agnoſcit, & operatricem ſuam Domini manum caro ſequitur*, inquit S. Ambroſ.

*Cur aurẽ Malcho Chriſtus reſtituerit. Rom. 12. Ambroſ. in 22. ca. Luc.*

Notant quoque Sacri Interpretes ex S. Ambroſ. & Cyrillo non caſu ſed Dei providentia factum, quòd ſervo huic Pontificis auricula dextra amputata ſit, nec vacare myſterio. Per hoc enim ſignabatur Judæos cũ ſuo Pontifice deinceps verum & dextrum auditũ legis perdituros, omniaque ſiniſtrè tantùm interpretaturos. Quod verò à Chriſto auris reſtituitur, præſagium fuit converſionis eorum, dum ablato velamine & cæcitate veritati fidei aurem præbebunt, ſaltem in fine ſæculi. Audi
S. Ambroſium: *Si Petrus volens percuſſit aurem docuit quod aurem habere in ſpecie non deberent, quam in my-*

*Nota. Cur ſervo Pontificis, & non alteri cuipiã auris amputata.*
1.

*in myſterio non habebant.* Sed bonus *Dominus ipſi refundit auditum, ſecundum prophetica dicta demõſtrans, & ipſos, ſi convertantur, poſſe ſanari, quam in Paſſione Domini vulnerati ſunt, eo quod omne peccatum Fidei myſteriis abluatur.*

Significari quoque poteſt quod Petri ſit & Apoſtolorum tollere aurem male audientis gladio ſpirituali, aurem interiorem malè intelligẽtis, inquit S.Ambroſius. Ideo cui Deus denegavit gladiũ materialem propria manu eximere, gladium ſpiritualem verbi conceſſit, tamquã ſibi & illis qui in Sacerdotio ſuccedunt convenientiſſimum, ad demetendam non ſolum aurem malè audientem, ſed etiam *omnem altitudinem extollentem ſe contra Deũ.*

2.Cor.10

Gladius itaque eſt verbum Dei, unde per illum quondam cœlitus Sancti & Epiſcopatum & Apoſtolorum officium ſunt inaugurati. Audi quod ad hanc rem legimus in vita S.Dunſtani,

*Sãcti per gladium cœlitus ad Epiſcopatum inaugurati*

Apparuere ei in ſomno Sancti Petrus & Paulus & Andreas, ſinguli ſingulos gladios auro inſcriptos pro munere Apoſtolicæ benedictiones cõferẽtes. In gladio Petri ſcriptum erat: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* At Gladius Pauli nomen Pauli Gladius Andreæ nomen Andreæ continebat. Andreas autem blandè eum intuens modulata voce canebat; *Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite, quia mitis ſum, & humilis corde.* Quid autem hæc ſignificarent. Rex Eltedus, qui Dunſtanum renitentem ad Epiſcopatum evehere volebat, per Spiritum eductus eſt, & effectus ipſe oſtendit. Quare Rex Dunſtano viſionem narranti ſic ait: *Cum tibi Apoſtoli gladios ſuos contulerunt verbum Dei vice ſua diſpenſandum tradiderunt Et quia Epiſcopos, vices Apoſtolorum per verbum Dei agere ſcimus, Epiſcopatus honore te ſublimandum ſcias. Quod ergo in gladio B. Petri ſcriptum eſt: In principio erat Verbum ſcias quod ſicut hæc verba Filium Dei innuunt: ita tu in Eccleſia Cantuarienſi, dicata ſpecialiter Salvatori & Filio Dei, Archiepiſcopatu ſublimaberis In qua vices Apoſtoli Petri accipies, atque ipſius poteſtatem ſolvendi atque ligandi tu ſuper omnes Angliæ Provincias habebis.* Quod vero gladium ei etiam Andreas dedit ſuo ſcriptum nomine, deſignabatur auctoritas in Roffenſem Eccleſiam: quam regere ſolitus erat, qui Cantuarienſi præerat, & hæc fuit ſpecialiter ſub patrocinio S. Andreæ. Quia autem prius Sanctus Dunſtanus regere debebat Londinẽſem Eccleſiam, ex nomine Pauli celebrem, ideo & à Paulo gladium accepit, Pauli titulo inſcriptum. Hæc refero occaſione gladiorum, quos habebant Apoſtoli, non ad ultionem, ſed ad myſticam potius ſignificationem, quam tunc adhuc non ſatis intelligebant. Non enim ſatis intellexerunt illud Domini: *Qui habet tunicam, vendat & emat gladium.* Quod non ſine myſterio dictum fuerat à Domino.

*Ioan.1.*

*Surius in vita S. Dunſtani & alii*

*Matt. 11.*

*Luc.22.*

In illa autem hora dixit Ieſus turbis, & ad eos qui ad ſe venerant Principes Sacerdotum, & Magiſtratus templi, & Seniores: *Tanquam ad latronem exiſtis cum gladiis & fuſtibus comprehendere me, quotidie vobiſcum erã, & docebam ſedens in templo, & non me tenuiſtis. Sed hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum.* In his verbis multa, continentur ponderatione & ſpeciali conſideratione digna.

Primò, oſtendit quomodo poteſtatem habeant ex ſola ſua voluntate, quia ſpontaneè ſe traderet eis, veniente jam hora qua impleri debebant Scripturæ. Cum enim ſæpiſsimè ſe palam eis obtulerit, nihil in eum potuerunt, quia noluit, & necdum venerat hora Vnde prædicta verba S.Hieronymus ſic explicat, quaſi diceret Dominus: *Stultum eſt cum gladiis & fuſtibus quærere eum qui ſe ultrò veſtris tradit manibus; & in nocte quaſi latitantem, & à veſtris oculis declinantem per proditorẽ inveſtigare, qui quotidie doceat in templo: ſed ideo adverſum in tenebris congregamini, quia poteſtas veſtra in tenebris eſt.*

*Ex voluntate Chriſti Iudæi poteſtatẽ in ipſum habuerint*

Secundò, cenſetur prædictis verbis exprobrare ingratitudinem eorum. Quaſi dicat: Eſt ne iſtud quod retribuitis pro doctrina vobis impenſa, pro tot beneficiis à me in vos profectis? *Numquid redditur pro bono malum;* Numquid ægros veſtros ſanitati reſtitui, cæcos illuminavi, claudis greſſum reddidi, mortuos ſuſcitavi: Pro his igitur omnibus hæc retribuitis: Certè ingratitudo eorum plus affligebat Chriſtum, quam quippiam aliud: unde & eam in eius paſſione cœlum & terra, Sol & aſtra deteſtata ſunt. Cœlum quidem & Sol lucis ſubtractione, terra concuſſione, & petrarum fiſsione. Neque ſolum Chriſtus ad memoriam revocabat noviſſima hæc beneficia, ſed & antiqua innumera populo huic immemori & ingratiſsimo exhibita. Hæc ſummatim Sanctus Chryſoſtomus homil.39 recitat, dicens: *Præ cæteris hominibus magnifica eis vitæ inſtituta ſunt tradita. In medio maris iter eis apertum eſt? & in quo ipſis fuit ſalus, inimicis venit interitus. Annis quadraginta in deſerto, non orando nec ſeminando vixerunt: laborẽ meſſis & areæ neſcierunt: onus eis molæ & coquendi panis neceſſitas non fuit. Fœminas quoque eorum, nulla texendi ſollicitudo conſtrinxit, mercandi cauſa nõ inſtitit, macellum nemo pro carnibus requiſivit. Sed ſuper hæc omnia fuit verbum Dei, & paravit eis mẽſam in deſerto, laboris & ſudoris expertem. Hæc enim fuit natura Mannæ, novus quotidie cibus, & ſaporem ſui pro deſiderio veſcentium ſubminiſtrans. Sed indumenta eorum, & calceamenta, & ipſorum etiam corporum natura oblita eſt infirmitatis ſuæ, Nõ enim attrita ſunt veſtimenta, aut quis infirmus fuit egẽs medicina. Et quod fuit ſuper omne miraculum ne fortè acrior eos Solis radius adureret, umbra nubis per diem tegebantur, & circum ferebantur cũ eis tecta cœleſtia Nec nocte abſque ſolatio relinquũtur: lãpas enim eis ignis non ſolùm illuminandi, ſed & viam oſtendendi miniſterium præbebat. Quid verò dixerim de ſequẽte eos petra aquarum fluvios emittente; Quid de multitudine avium terram tegente; Quid repetam mirabilia in Ægypto facta: Quid virtutes quæ cõſummata*

*Summa Iudæorũ ingratitudo obiicitur.*

*Iere. 28.*

 *ſunt*

*ſunt in deſerto, bella, orationes, victorias; Non enim ut pugnantes, ſed ut choros agentes manu protectionis triumphabant? Nam & muros Iericho in voce Pſalmorum turbarumque deiiciunt.* Hæc & plura ibi S. Chryſoſtomus. Quæ certè mirè ad augent ingratitudinem populi Iſrael irruentis in ſuum Ductorē, Doctorem, Salvatorē, ut meritò Eccleſia hæc exprobrando eis in die Veneris ſancto *Improperia* occinat per multos verſus.

*Chriſtus ut fur & latro apprehendi voluit.*
*Pſ. 68.*

Tertiò conſiderandum eſt quod dicit: *Tanquam ad latronem exiſtis.* Licet hoc improperet & exprobret; attamen voluit tractari & apprehendi ut fur, & latro, quia venerat ſatisfacturus pro furto primi hominis in Paradiſo. Pro illo voluit ſui ſanguinis pretium ſolvere, ita ut apud Pſalmiſtā hæc ſit vox eius: *Qui non rapui tunc exſolvebam.* Alia tamen & ſublimiori ratione ſacris in litteris deſcribitur, tamquam raptor & prædator, quia & nomen eius eſſe dicitur: *Accelera ſpolia detrahe, feſtina prædare.* Venerat ſpoliaturus Diabolum, & in inferno prædam eructurus! iamque in Cruce prædari incipit, latronis animam è Dæmonis eripiens poteſtate tanto tempore ab eo poſſeſſam. Ideo & de eo in typo ſcriptum eſt: *Catulus Leonis Iuda, ad prædam aſcendiſti Fili mi.* In Crucem enim aſcendit Chriſtus de tribu Iuda ortus, ut prædam inde caperet. Sed felix qui eius præda eſſe meruit: Vtinam nos prædetur, & ſibi corda noſtra rapiat, ut Mundus & Satan ea ultrà non poſſideat.

*Iſai. 8.*

*Gen. 49.*

*Poteſtas Satanæ in Chriſtum, nonniſi à Chriſto.*

Denique illud conſiderandum quod dicit: *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum.* Ipſe qui lux erat ſeſe in poteſtatem tenebrarum dedit; & ampliorem in ſe poteſtatem conceſſit, quam olim in Iob fecerat Satanæ, ut per mortem ſuam deſtrueret mortis imperium. Olim Alexānder Magnus ſagitta hamata percuſſus, rogabatur ut ſe permitteret ligari donec illa excideretur. Reſpondit ipſe: *Non decet vinciri Regem, cùm libera ſit Regis & ſemper, ſalva poteſtas.* At Chriſtus Rex Regum ſe vinciri permittit percuſſus ſagitta amoris, ut per hæc vincula nos ſibi devinciat, & hoſtes devincat. Sic & Sampſon permiſit ſe ligari, ut poſtmodum deſtructis vinculis ſuos hoſtes vinceret, vel in mandibula aſini, vel in devolutione aulæ eorum & tēpli. Non abſimili igitur modo Chriſtus Dominus poſt vincula illuſiones, diſruptis per reſurrectionem vinculis mortis, totum imperium Dæmonis evertit, & per ſimplicitatem Apoſtolorum, in mandibula aſini deſignata, totum orbem convertit.

Irruerunt itaque in Ieſum, tamqum lupi rapaces in Agnum manſuetiſſimum, tamquam ſceleratiſſimi latrones in Paſtorem verum, tamquam perfidi filii in Patrem pium. *Irruerunt* (inquit S. Leo) *in lumen verum, filii tenebrarum, & utentes faculis atque laternis, non evaſerunt infidelitatis ſuæ noctem, quia non intellexerunt lucis authorem. Occupant paratum teneri, & trahunt volentem trahi, quia ſi vellet obniti, nihil in eum poſſent manus impiæ; ſed nullum ſervaret illæſus, qui pro omnium ſalute erat moriturus.* Irruunt in eum tauri pingues, vituli inſolentes, rabidiſſimi canes, efferati leones nihil præcedentibus miraculis commoti. Quin immò inde eorum auctus eſt furor, quod ipſos in terram proſtraverit, quòd capi antea non potuerit: ideoque ſinguli in eum irruūt, iniuriam ſuam vindicantes. Circumdāt eum ſicut apes, quiſque aculeū figens diræ ultioni: Igitur ipſum cū impetu & furore in terram proſternūt ventri, faciei, totique corpori cum rabie incumbunt, conculcant, & ferociter colligant. Ecce qui ſedet ſuper Cherubim, ſub pedibus impiorum jacet, & ad Patrem orare poteſt illis Pſalmiſtæ verbis: *Miſerere mei, quoniam conculcavit me homo, conculcaverunt me inimici mei.* Parum ei fuit proſterni ad pedes diſcipulorum voluit & iacere ſub pedibus inimicorum. Ligatur verò tamquam Agnus qui portatur ad victimam, ſine ulla querimonia aut voce, ſine ullo ſigno indignationis aut iræ. Adimpletur illud: *Fili hominis data ſunt ſuper te vincula, & linguam tuam faciam adhærere palato tuo, & eris mutus.*

*Leo ſer. 8. de Paſſ.*

*Quo furore Iudæi in Chriſtum irruerint.*

*Pſ. 55.*

*Ezech. 3.*

*Funibus Chriſtū Iudæi circumdederunt.*

Colligatum autem quidam cenſent catena ferrea, eò quod Iudas dixerat, *Tenete eum, & cautè ducite.* Abſque dubio multiplici fune fuit ab eis circumdatus, ut ſecurius ducerent, ferociuſque traherent. Sicut Leo rugiens & rapiens trahit prædam ſuam per terram, ita & illi trahebant Chriſtum percutiendo, & multis iniuriis afficiendo, multiſque probris. Tradunt nonnulli in torrentem Cedron, quem mox in itinere tranſire oportuit, præcipitatum fuiſſe, & veſtigia pedum in ponte, ex quo præcipitatus fuit, impreſſa remanſiſſe. *Sic tradit Aranda ſcrutator Terræ ſanctæ, & Salmeron, ac alii.*

Hoc hic piè conſiderandum, illas manus vinculis colligatas fuiſſe, quæ paulo ante panem Angelorum diſtribuerant diſcipulis, & quæ ſemper extenſæ fuerant ad bene faciendum etiam inimicis; quæ cæcis lucem, ægris ſanitatem, mortuis vitam, mutis loquelam, ſurdis auditum tactu ſuo reſtituerant, & in ipſa eadem hora coram ipſis Malcho abſciſſam aurem. His interim vinculis vinciri voluit, ut noſtrorum diſrumperet vincula peccatorū. Nec tam his ipſe, quam ſuæ charitatis & amoris vinculis ligatur, quibus & nos colligare ſibi peroptat, & corda noſtra trahere, indiviſibiliterque unire. Dicamus ergo illi, correſpondentes eius amori & charitati; Utinam Domine mi, omnes nervi mei, & arteriæ, omneſque venæ meæ funiculi ſint aurei, quibus te intimè ligare poſſim miſero meo cordi; ut nec mors, nec tribulatio, nec gladius umquam valeant me à te ſeparare. Vtinam vincula tua mihi ſiat alligatura ſalutis, & ligent manum iuſtitiæ tuæ meritò contra peccata mea extentam, manumque miſericordiæ laxent, quam peccata mea conſtrinxerunt.

Quia verò diſcipuli adhuc erant infirmi, nec ſatis

ſatis intelligebant vincula Chriſti, *Omnes relicto eo fugerunt.* Hic adimpletur illud: *Percute Paſtorem & diſpergentur oves gregis.* Hæc interim fuit infidelitas poſt tot promiſſa: hæc fuit infidelitas poſt tot promiſſa: hæc fuit fuga ignominioſa illis qui tot ab eo monitis, erant præmuniti, tot conſiliis præeruditi tot beneficiis affecti, tot miraculis confirmati? quorum & aliqui in transfiguratione teſtes adfuerant gloriæ eius, & cæteris conſtantiores eſſe debuerant. Sordidarunt ergo per hanc ignominioſam fugam pedes illos, quos ipſe paulò ante laverat, & oſculo dignatus fuerat. Sordidarunt cor & animum, ſymbolo dilectionis communitum in participatione corporis & ſanguinis. Quo quidem debuerant fortes effici etiam contra mortis pericula, & in fide ita confirmari, ut nulli ſupervenientes fluctus eam concutere valerent, aut excutere. Certè ignominioſa iſta fuga non parum cor Chriſti pervaſiſſe credenda eſt, quandoquidem de ea conqueri videatur per Prophetam: *Longe feciſti notos meos à me. Elongaſti à me amicum & proximum, & notos meos à miſeria. Qui iuxta me erant, longe ſteterunt; & vim faciebant, qui quærebant animam meam.*

*Zach. 13.*

*Diſcipulorum Chriſti ignominioſa fuga.*

*Pſ. 87.*
*Pſ. 37.*

Ita, Domine Ieſu, dereliquerunt te proximi tui, & qui noverunt te, obliti ſunt tui, & beneficiorum tuorum, ſponſioniſque ſuæ. Vbi ſunt illi, quorum tantam gerebas ſollicitudinem, ut in cordis meditullio eos inſcripſiſſe teſtareris! Vbi ſunt quos divino Corpore & Sanguine tuo ſaginaveras, verbis amantiſſimis conſolatus eras, Patri miro affectu commendaras, ac de eis gloriatus fueras quod permanſiſſent tecum in tentationibus; Vbi *Petre* tua conſtantia & ſponſio? Vbi *Iacobe* & *Ioannes* veſtra de calice Domini bibendo promiſſio; Vbi veſtra ô *Iacobe* frater Domini, & *Simon* atque *Iuda*, cum ipſo conſanguinitas, quæ ſuadet à conſanguineo non ſeparari; Vbi *Thoma* animus tuus *Eamus, & moriamur cum illo*? Vbi *Bartholomæe* generoſitas tua, qui nobilis diceris, ſicque ad mortem uſque pro Magiſtro dimicare te conveniebat; Vbi vos omnes, ô Diſcipuli, milites generoſi, & Duces exercitus Chriſtiani; Itane fugitis nemine perſequente; Nolebatis ab eo diſcedere, quia verba vitæ haberet æternæ, Et nunquid defecerunt ei verba vitæ Nonne & miracula adhuc videris in hoſtium proſtratione & veſtra conſervatione; Ita benigniſsime Domine, torcular calcas ſolus: ita percuteris Paſtor bone, & diſpergentur oves. Hoc quidem affligit acerbiſsimè cor tuum, ſed compateris eorum infirmitati & ſocordiæ emendaturus eam in tua Reſurrectione & collecturus eos in Matris tuæ morte, ut hanc reſarciant infidelitatem, quam oſtenderunt te ad mortem eunte.

*Ioan. 11.*

Sed quam multi è nobis ſimiles ſunt his diſcipulis, qui facilè Dominum deſerunt humano timore aut tentatione, quando pro illo quidpiam patiendum. Magna ſæpe promittimus, multa pro eius amore facienda decernimus, occaſione verò occurrente, dilabimur, & incommodum aliquod pro eo pati detrectamus. Sequimur eum uſque ad fractionem panis, ſed non uſque ad bibendum calicem Paſſionis. Bonum nobis videtur cum illo eſſe in monte Thabor, monte gloriæ, ſed fugimus montem Calvariæ montem Paſsionis & ignominiæ. Sic meritò de nobis conqueritur: *Etſi amicus menſæ, & non permanebit in die neceſſitatis.* Et rurſus patet hic illud verum eſſe: *Filii Ephrem intendentes & mittentes arcum, converſi ſunt in die belli.*

*Multi hodie diſcipulorum Chriſti fugientium imitatores.*

*Eccli. 6.*

*Pſ. 77.*

Adoleſcens autem quidam *ſequebatur eum amictus ſyndone ſuper nudo; & illi tenuerunt eum. At ille reiecta ſyndone nudus profugit ab eis.* Hunc non fuiſſe ex Apoſtolis, patet ex eo quod nudus dicatur, ſive ſuper nudo corpore ſubtili linea veſte amictus. Hic autem non erat veſtitus congruus Apoſtolis; nec veriſimile eſt aliquem cum eo cœnaſſe ſuper nudo corpore tantum linteo amictum, aut ſic in horto cum ipſo fuiſſe. Cum ergo hic modus ſe veſtiendi videatur ſolum accidentarius his qui è lecto ſurgunt, non fuit hic Ioannes aut Iacobus Apoſtoli, ut aliqui dixere; quia nec poſſunt dici adoleſcentes, vel ut Græca habent *adoleſcentulus*: Sed fuit aliquis è Villa Gethſemani, aut vicinia, ſive ex iis, qui in horti cuſtodia erant, qui rumore excitatus venit, ut agnoſceret quid fieret? & ſecutus eſt, ut videret finem huius tragœdiæ, quia forſan benè affectus erat Chriſto. Quiſquis fuerit, hoc videtur à S. Marco enarratum, ut oſtendat quanta fuerit circa Dominum trepidatio ita ut nemo apud eum conſiſtere valeret. Sic implebantur Scripturæ dicentes? pſum neminem inveniſſe auxiliatorem, aut conſolatorem Myſticè autem hic adoleſcens facto ſuo docet, ſi dum Chriſtum ſequimur, hoſtes virtutis nos cum Chriſto perdere quærant, & de ſuo numero facere fugiendum eſſe ab eis, etiam cum iactura veſtis, hoc eſt bonorum externorum, & corporis quo anima tegitur. Hæc relinquenda potius, quam periculum animæ incurramus. Sic Ioſeph relicto pallio fugit ab impudica. Hinc obſerva cum Beda, quod hic non dicitur fugiſſe à Chriſto, ſed ab eis, ſcilicet hoſtibus Chriſti.

*Adoleſcens Chriſtum ſecutus quis fuerit.*

## LECTIO IV.

*Quomodo Chriſtus primùm ductus ſit ad Annam, deinde ad Caipham, & quid ibi circa eum actum:*

APprehenderunt itaque Ieſum, & ligarunt. At quò duxerunt; Si quæram à Petro, ipſe ſolum ſequitur à longè: Si ab aliis diſcipulis, omnes relicto eo fugerunt. Si ab adoleſcente ſyndone amicto, coactus eſt ipſe nudus aufugere. Interrogemus Mariam eius Matrem, forſitan ipſa quid cum filio agatur, probè novit. Dicamus ergo ei quod animæ devotæ in Canticis: *Quò abiit dilectus tuus: ô pulcherrima mulierum, & quæremus eum tecum?* Verum ſi huius rei conſcia eſt Maria,

*Cant. 5.*

 abſque

abſque dubio plena eſt dolore & mœrore, plena ſuſpiriis ac ſingultu; triſtis cum Filio uſq; ad mortem, gladioque doloris confixa. Non ergo interrogando augeamus mœrorem, quia & vix vocem edere poteſt ſingultibus interciſam. Audiamus Evangeliſtam.

*Chriſtus cur ad Annam primò ductus.*

*Adduxerunt ad Annam primùm. Erat enim ſocer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius.* Multi ex Interpretibus docent, ideo ad Annam primò ductũ. tum quia ejus domum præterire oportebat, antequam ad domum Caiphæ pertingeretur, tum quia ei honoris gratia tamquam ſeniori & Patri ſeu ſocero Caiphæ cõgratulari voluerunt, quẽ ſciebant maximo odio in Chriſtum ferri. Habebaturque quaſi Pontifex, quia emerant alternis vicibus Põtificium contra legis diſpoſitionem, ut vult Ioſephus, & explicant latiùs Interpretes exponentes illud: *Sub Pontificibus Anna & Caipha.* (*Luc. 4.*) Sed notat & addit Cardinalis Baronius anno Chriſti 30. & 34. Chriſtum Dominum præſentatum fuiſſe ignominiosè coram quatuor Tribunalibus aut Conſiliis Primariorum in Ieruſalem.

*Chriſtus coram 4. tribunalibus ignominiosè præſentatus.*

*1. Annæ.*

Primum Tribunal fuit Annæ, qui erat Caput & Princeps Scribarum, & legis Doctorum, è quibus conſtabat Conſilium ſeptuaginta Seniorum pro cauſis concernentibus doctrinam, quæ publicè prædicabantur; & ibi examinabatur ſecundùm lydium lapidem legis & Scripturam propheticarum. Quare ibi Chriſtus interrogatus eſt de doctrina & diſcipulis.

*2. Caiphæ*

Secundum Tribunal fuit Caiphæ ſupremi Pontificis, cui adjuncti erant alii Sacerdotes & Phariſæi; quaſi illius temporis viri religioſi; & ibi agebatur de his quæ concernebant Iudaicã religionẽ, examinabanturque illa quæ punctum religionis tangebant. Erat illud tribunal Eccleſiaſticum legitimum illius temporis. Ibi ergo interrogatus eſt Chriſtus, an templum ſe deſtructurum dixiſſet, an ipſe eſſet Filius Dei & Meſſias?

*3. Pilati.*

Tertium Tribunal fuit Pilati, Præſidis Iudeæ auctoritate Cæſaris, ubi multi Satellites, Greffiarii, & alij iuſtitiæ miniſtri pro cauſis civilibus & criminalibus, proque externæ politiæ directione. Ibi Chriſtus interrogatus eſt, an ſe faceret Regem an ſeduceret turbas, an prohiberet tributa Cæſaris?

*4. Herodis.*

Quartũ Tribunal fuit Herodis regis Galileæ, qui tunc erat Ieroſolymis, ubi multi cum ipſo aulici, & non pauci milites à corporis cuſtodia, multique famuli latus eius cingentes. Ibi & Chriſtus interogatus eſt, ſed quia ſiluit, illuſus eſt, & cum contemptu dimiſſus. Si ignominiosè tractari voluit coram his omnibus Tribunalibus, & à Primariis cujuſcumque ordinis in Ieruſalem deſpici; à litteratis, à religionem profitentibus, à Præſide Iudeæ à Rege Galileæ cum ſuis aſſeclis: ipſe, inquam, ab his omnibus voluit deſpici, qui Sapientia erat, Religionis exemplar, Sacerdos Summus, Rex Regum, Iudex omnium. Ipſe enim eſt, qui *ſtat in Synagoga Deorum in medio Deos dijudicans* (*Pſ. 81.*) Ipſe eſt *terribilis qui aufert ſpiritum Principum,* (*Pſ 71.*) quem Principes & Sacerdotes videbunt venientem in nubibus cœli, ut ipſe dixit Caiphæ.

*Cur de doctrina & diſcipulis Chriſtus interrogetur.*

Cæterum, interrogatur de doctrina & diſcipulis, ut aliquam ei ſtruere valerent calumniam, de falſitate, de populi ſeductione, & ſeditione. Interrogant itaque qualis foret doctrina ipſius, an non contraria Moyſi & Prophetis, legi & oraculis? an de cœlo procederet, vel de proprii ingenii figmẽto? quot qualesve diſcipulos haberet, & qua auctoritate eos collegiſſet, quave auctoritate ad docendum eos mitteret, & à quonam ipſemet miſſus eſſet? Reſpondet Chriſtus, doctrinam ſuã non poſſe argui falſitatis, quia & eam non in tenebris, ſed palã propoſuiſſet in ſynagogis. *Interroga*, inquit, *eos qui audierunt, quid locutus ſum, ecce hi ſciunt quid dixerim ego.* In libertate ſpiritus reſpondet, nihilque veretur ipſos hoſtes ſuos, quos & audet producere teſtes ſuæ & doctrinæ & vitæ. Nihil de diſcipulis dicit, nec accuſat eorum infirmitatem, nec excuſat infidelitatem. Nonnulli verò putant ibi Iudam tunc adfuiſſe expectantem proditionis ſuæ promiſſam mercedem: qui cum notus foret diſcipulus, præſentia ſua Chriſti vultum perfundebat rubore, magis autem animum mœrore. Sed quid interrogas eum, ô Anna vel Caipha de doctrina quæ tot miraculis publicis fuit confirmata? Mille habet probationes, à viris ac mulieribus à primatis & plebeis, à peritis & imperitis, à cæcis & mutis, ab ægris & leproſis, denique & à mortuis. Hos omnes interrogare te deceret, audireſque ad ipſiusmet hoſtibus: *Numquam ſic locutus eſt homo.* Interroga Nicodemum, & audies eum dicentem: *Verè à Deo veniſti Magiſter.* Interroga Nathanaelem, etiam in lege peritum, & audies: *Rabbi tu es Filius* Dei, *tu es Rex Iſrael.* Interroga Centurionem, Zachæum, Iairum Principem Synagogæ. Lazarum reſuſcitatum, & mille alios: audies omnes ei cum Petro dicentes: *Domine, verba vitæ æternæ habes, ad quem ibimus?* (*Ioan. 6.*) Numquid & tu vis diſcipulus eius fieri, qui interrogas de doctrina & diſcipulis? Sed velamen eſt ſuper cor tuum; excæcatus eſt oculus, aggravata auris, ut eius doctrinæ & luci non valeas intendere, & ſanari corde.

Interim dũ Dominus reſpondiſſet ſe *palam locutum fuiſſe Mundo in templo & Synagogis, & in occulto nihil* (quod ſcilicet cõtrarium foret illis, quæ publicè docuerat, aut quod poſtea nollet publicari (*Vnus Miniſtrorum* peſſima ex adulatione, ut placeret Domino ſuo, quamlibet iniquo modo, *dedit alapam Ieſu, dicens: Sic reſpondes Pontifici?* Hanc per inſignem graviſſimamque fuiſſe injuriam, ex multis collige.

*Iniuria alapæ Chriſto data maxima.*

*1.*

Primò, quia Ioannes Evangeliſta ſpecialem de ea facit mentionem, tamquam hic pateſcat horribilis imprudentia ſervi, iniquitaſque apertiſſima Pontificis tantum facinus ei in præſentia ſua diſſimulan-

mulantis, admirabilis quoque Chriſti in ea percuſſione patientia.

2\. Secundò, quia & Prophetiæ ſpeciales de ea re præceſſerant & figuræ. Prophetia quidem. *Dedit*
Thren. 3. *percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobriis.* Figura autem in Michæa Propheta, quem veritatem
3. Reg. 21. dicentẽ coram Rege Achab, exſurgens Sedecias, miniſter Regis & Pſeudopropheta, percuſſit graviter in maxilla. Figura ſimul & Prophetia in Iob
Iob 16. dicente: *Aperuerunt ſuper me ora ſua, & exprobrãtes percuſſerunt maxillam meam.*

3\. Tertiò, eò gravior fuit iniuria, ſi verũ eſt quod Chryſoſto. ait hom. 83. hunc ſervum fuiſſe Malchũ, cui Dominus exciſam aurem reſtituerat. Aut ſi verum eſt quod tradit S. Bernardus ſerm. de Paſſ. incuſſam fuiſſe alapam chyroteca ferrea, ita ut non ſolùm livorem faciei, ſed & veſtigia digitorum impreſſerit, ac cruorem excuſſerit ab ore & naribus. Aut ſi verum eſt, quod B. Vincentius aſſerit, Chriſtũ impetu tanto percuſſum, ut in terram ceciderit. Qualiſcunque fuerit, talis fuit ut exclamet S. Chryſoſt. hom. 82. *Exhorreſcat Terra, de Chriſti patientia, & ſervi imprudentia.*

O Angelici Spiritus, divinæ ultionis miniſtri, quo modò ultrices cõtinetis manus in hac horribili iniuria vultui illius facta, cuius illuminamini luce, & in quem continuò deſideratis proſpicere? Quomodò non conſumitis igne cælitus miſſo crudelem hanc & audacem manum, in Deum ſeſe extendentem? *Nonne vos percuſſiſtis Ozam propter Arca non ſatis reverentem attactum? Nonne propter unam blaſphemiam percuſſiſtis Zennacherib, & cum eo octuaginta quinque millia? Nonne ob unam Davidis ſuperbiam percuſſiſtis ſeptuaginta millia plebis? Nonne terram aperuiſtis, ut Core, Datan, & Abiron abſorberet propter unam rebellionem?* Quid ergo nunc ſiletis in Cœlo, dum Filius Dei tantam in terra recipit iniuriam?

Tu verò, Pater æterne, Deus ultionis, Deus juſtitiæ, qui etiam vilium ſervorum tuorum injuriam ulciſceris, quomodò protervam hanc manum pateris? quomodò Filii tui faciem ſic dedecorari permittis, & furioſo ictu ſignari, obſcurarique vultum illum qui eſt ſplendor omnis gloriæ? Sed audio te per Prophetam reſpon-
Iſaia 35. dentem? *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* Agnoſcoque quod hæc alapa nonniſi initium injuriarum eſt ſacro eius capiti & faciei infligen-
*Alapha fuit initium iniuriarũ Chriſto infligendarum.* darum: mox enim videbimus eam multiplicibus fœdatam ictibus, ſputis conſpurcatam putidis, rivulis ſanguineis plenam, ob ſpinas eius vertici infixas ferociſſimè. Tu interim. *Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui*, quandoquidem propter peccata noſtra hæc patitur.
Pſ. 83. Reſpice in hanc faciem, & illa nobis propter illam condonans, ſimul gratiam largire, ut pro eius nomine lubenter injuriam patiamur, ut poſtmodum eamdem faciem non percuſſione attritam, non ſputis illitam, non cruore fœdatam, ſed Sole fulgidiorem æternum contemplemur.

*Patiẽtia Chriſti acceptæ alapa.* Tu autem, ô Chriſtiane, reſpice & perpende manſuetudinem & patientiam Chriſti, Ducis tui. Excepit alapam, nec excanduit ad iram, nec linguam laxavit ad contumeliam, nec manum ad ultionem, nec animum ad indignationem: at tu arrogans & impatiens ad unicum verbum, vindictæ ſpiritum concipis, fratri maledicis, Deum deſeris, animam perdis, ſanguinem vis fundere fratris, pro quo Chriſtus ſuum fudit. Accede huc, & reſpice in faciem Chriſti tui, Salvatoris tui, tanquam ſpeculũ patientiæ, in quo teipſum contempleris, & diſcas corde humilis eſſe & mitis. Imò contemplare totũ Paſſionis eius curſum, & reperies ne ſemel quidẽ commotum fuiſſe contra hoſtes: ſed cum ab inimicis patiatur & pro inimicis, nonniſi amorem & benignitatem in eos ſpirat, & verbo, aſpectu, opere exhibet. Oſculatur proditorem, ſanat aurem ſe invadentis, orat pro crucifigentibus, quorum pecca ta magis eum cruciabant in corde, quàm tormenta in corpore.

*Cur Chriſtus percutientẽ ſe reſponderit. Aug. tract. 113.* Sed inquirit Sanctus Auguſtinus, cur Chriſtus reſpondit percutienti ſe: *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo; ſi autem benè, cur me cædis.* Nonne alibi dixerat. *Si quis percuſſerit te in unam maxillam, præbe ei & alteram!* Reſpondet S. Aug. illud præceptum non eſſe ad litteram intelligendum, ſed velle ut animo tranquillo injurias feramus, parati potiùs alteram præbere maxillam, quam iram concipere, aut vindictam deſiderare. Quod & ipſe Chriſtus fecit, nam & totum corpus præbuit ad alapas & flagella. Hic tamen reſpõdet, non tam ob illatam ſibi injuriam, quam ut coram Iudice & Pontifice ſe rectè locutum eſſe oſtendat doctrinamque ſuam publicam & mundo notam ſignificet. Si verò tacuiſſet, ipſo ſilentio malè ſe locutum eſſe comprobaret, Non ergo impatientiæ alicuius his verbis ſpecimen oſtendit, ſed ſuã defendit doctrinam, & manſuetè admonet percuſſorem, iniquamque Pontificis diſſimulationem inſinuat. Nulla itaque hic vindictæ in Chriſto vel umbra. Quocirca idem S. Auguſtinus adiungit: *Si cogitemus quis acceperit alapam, nonne vellemus eum qui percuſſit, aut cœleſti igne conſumi, aut terra dehiſcente ſorberi, aut correptum dæmonio volutari, aut pœna graviore puniri; Quid enim horum per potentiam iubere non poſſet per quem factus eſt mundus, niſi patientiam nos docere voluiſſet, qua vincitur mundus;*

Hanc patientiam imitatus eſt ille Senior, de quo Caſſianus, qui cum ab Alexandrinis infidelibus variè exagitaretur, & quadam vice interrogaretur. *Quenam mira ſuper naturam Chriſtus tuus quẽ prædicas, effecit;* Reſpondit: *Hoc miraculum ſecit, quod veſtris convitiis & iniuriis toties laceſſitus indignatione in vos ulla non commovear.* Sic & alius quidam Abbas Ioannes in Vitis Patrum, lib. 5. c. 2. ait *Porta Cœli eſt iniuriarum perpeſſio, & qui multas iniurias*

*furſas Patres noſtri gratulantes, in eam ingreſſi ſunt.*

*Ieſus ab Anna ad Caiphã ducitur.*

Ulterius, cùm in tranſitu Ieſum Annæ præſentaſſent, duxerunt eum ad domum Caiphæ Principis Sacerdotum. *Principes autem Sacerdotum & omne concilium quærebunt falſum, teſtimonium adverſus Ieſum, ut eum morti traderent. Et non invenerunt, cum multi falſi teſtes acceſſiſſent, quia non erant convenientia teſtimonia eorum*, inquit S. Marcus. Sive quia nihil tale proferebãt unde ad mortem poſſet accuſari; ſive inter ſe non conſentiebant, ſed ipſa ſeſe teſtimonia refellebant. Hoc egregiè declarat innocentiam Chriſti, quod non potuerint aliquid de illo comminiſci quod veri ſpeciem haberet, aut eum aggravaret. Adimpletumque eſt illud Pſ. 63. *Scrutati ſunt iniquitates, defecerunt ſcrutantes ſcrutinio.* Et illud: *Inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.* Interim quacumq; ratione volebant eum perdere ſub ſpecie judicii, ſicut Achab Naboth, aut ſicut ſenes Suſannam, *qui declinaverunt oculos in terram, ut non recordarentur judiciorum juſtorum.*

*Pſ. 63. Pſal. 26. 3. Reg. 21 Dan. 13.*

*Hæretici Iudæorũ imitatores.*

Judæos Chriſtũ injuſtè falſis teſtimoniis condemnantes imitantur hæretici, qui cõtra eum veniunt falſi teſtes jam ab initio Eccleſiæ. Ebion, Cherintus, Arius, in ſuo teſtimonio aſſerũt quod non ſit Deus. Neſtorius, quod in illo ſint duæ perſonæ. Euthyces, quod unica natura. Manichæus, quod non fuerit in ipſo verum corpus. Et hi undique falſa conquirunt teſtimonia ad id adſtruendum; ſed nõ ſunt convenientia teſtimonia eorum. Noviſſimè autem venerunt duo falſi teſtes, unus è Germania Lutherus nomine, alter è Gallia Calvinus: hic atteſtatur quod Chriſtus non ſit verè & realiter ac ſubſtantialiter in Euchariſtico Sacramento, ſed tantũ figuratè: ille veritatem agnoſcit, ſed impanationem adjungit, aſſerens quod ſit ibi ſimul cum pane per unionem neſcio quam ſubſtantialem, ſicut in carnatione divinitas eſt cum carne. Sic variis teſtimoniis confictis Auguſtiſſimum Sacramentum accuſatur, vel falſitatis, vel idololatriæ. Eſtque Eccleſia velut caſta Suſanna inter iſtos duos ſenes inveteratos dierum malorũ, multas accuſationes patiens; ſed liberatur ſuſcitante Deo ſpiritum Danielis, ſpiritum veritatis, & demonſtrante falſitatis & erroris ſpiritum, à quo agitantur hi maleſuadi teſtes, Scripturas falſificãtes, vel pravè interpretantes, ut alios ſecum exagitant & perdant.

Utique ipſi nõ abſimiles ſunt his duobus teſtibus falſis, qui aſſerebant Chriſtum dixiſſe: *Poſſum deſtruere Templum Dei, & poſt triduum reædificare illud. Ego diſſolvam Templum hoc manu factum, & poſt triduum aliud non manufactum ædificabo.* Falſificabant hi verba & mentem Chriſti. Ipſi enim dixerat: *Solvite Templũ hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Hoc autem dicebat de templo corporis ſui. Sic hæretici modò addunt, modò demunt aliquid ex Scripturis ſacris, vel tamquam maligni teſtes depravant & detorquent mentem illarum, peſſimeque interpretantur.

*Ioan. 2.*

Interim Pontifex, ſatis advertens non eſſe hæc ſufficientia teſtimonia, nec ſatis convenientia, exurgens in medium, nec iam modeſtiam ſervans Iudicis ſedendo, ſed è ſolio ſuo excuſſus veſania mentis: *Nihil*, inquit, *reſpondes adverſus ea, quæ iſti adverſum te teſtificantur?* Ex eius reſponſo aliquam graviorem occaſionem captabat. *At ipſe nihil reſpondit.* Tum quia ſciebat hæc teſtimonia frivola eſſe, vel falſa: tum quia noverat in calumniam rapiendum quidquid reſponderet, & irritãdos eorum animos: ſicque magis ſe ſilentio profuturum: quam reſponſo. Denique, illud iam adimpleri debebat: *Qui inquirebant mala, mihi locuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditabantur: Ego autem tamquam ſurdus non audiebam, & tamquam mutus non aperiens os ſuum &c.* Illud quoq; adimplebatur: *Cùm conſiſteret peccator adverſum me, obmutui, & humiliatus ſum & ſilui à bonis.* Multa eis bona & præclara monita dare poterat, multa proferre pro innocentia ſua: ſed quia fruſtrà id nunc fieret, acceptas iniurias Deo committit. In quo etiam docemur ferendas quandoque calumnias reſponſo indignas, dum apertis mendaciis impetimur, cum tales ſatis refellat propria conſcientia, & defenſio magis irritet & provocet, quaſi oleum igni additum.

*Cur Chriſtus Pontifici nihil reſpõderit. Pſal. 37. Pſal. 38.*

Ne autem ob ſilentium Chriſti Caiphas fruſtraretur ſua expectatione; adjurat eum (ſive ex parte Dei imperat, eius advocans nomen & auctoritatem, tamquam teſtis & vindicis) ut ad quæſtionẽ reſpondeat ſibi propoſitam categoricè & diſertis verbis: *adiuro te per Deum vivum, ut nobis dicas, ſi tu es Chriſtus, Filius Dei.* Sublimis utique quæſtio qua ſublimior propoſita nõ fuit in orbe. Proponitur autẽ à Supremo Pontifice Hebræorum in cõgregatione peritiſſimorũ in lege, qui quidem reſponſum ad eã quæſtionem probè noſſe poterant, niſi iã percuſſi eſſent quadam prævia cæcitate. Interim Verbum divinũ & Sapientia æterna reſpondentis vicẽ ſubire parata eſt coram Auditore celebri hominum & Angelorum (in contrarium argumẽtante & contradicente Synagoga) & divinitatem ſuam palam aſſerere & confirmare. Iam ad eã quæſtionem anteà reſponderat Petrus, Chriſtianorũ Pontifex, in medio Collegio Apoſtolorum pronuncians: *Tu es Chriſtus, Filius Dei vivi.* Reſponderat & vox cæleſtis Patris ad eandẽ quæſtioné, tùm in Baptiſmo Chriſti, tũ in monte trãſfigurationis: *Hic eſt Filius meus dilectus.* Nunc autẽ periculoſa erat reſpõſio quia ab illa pẽdebat mors & condemnatio. Quia tamen propriæ vitæ noſtrã ſalutem prætulit, & divino nomini reverentiam voluit deferre, reſpondet apertis verbis ſe illũ eſſe de quo quæſtio erat. *Tu dixiſti.* Quod idem eſt atque ſi diceret; EGO SUM, prout etiam expreſſit S. Marc. c. 14. Immò & adjecit: *Veruntamẽ dico vobis amodò videbitis Filium hominis ſedentem à dextris*

*Chriſtus divino nomini reverentiã deferens reſpondet Põtifici.*

*virtutis*

*virtutis Dei, & venientem in nubibus* Cœli. Quaſi dicat: Poſthac experturi eſtis me non injuſtè hos mihi titulos arrogaſſe, ſed agnoſcetis me ſedentem à dextris virtutis Dei, & aſſidentem illi proximè, æqualem ut naturâ ita & poteſtate, imperio & gloria. Hoc inchoatè factum fuit in reſurrectione & aſcenſione, complerè autem in judicio univerſali, quando veniet in majeſtate in nubibus cœli ab omnibus agnoſcendus Appoſitè autem hoc Divinitatis ſuæ protulit argumentum, ad incutiendum terrorem ſe tunc injuſtè judicantibus, & ad diſſolutionem argumentorum & rationum, ob quas deſpiciebatur, & nihil minus quam Chriſtus credebatur, quia homo plebeius & vilis apparebat exterius.

*Veſtimentorum ſciſſio Iudæis frequentiſſima.*

Hoc reſponſo accepto. Princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta, ſive tunicā interius clauſam diſrupit ſuperne ad cingulum uſque. Hoc ſolemne erat Iudæis, cum animi ingentem dolorem, aut indignationem volebant oſtendere. Sic Iacob viſâ tunica filii ſui Ioſeph, ſcidit veſtimenta ſua. Sic Rex Ezechias auditis blaſphemiis Rabſacis, legitur quoque veſtimēta ſua ſcidiſſe. Sic Barnabas & Paulus, cum eis vellent quidam ſacrificare Lyſtris, & ut Deos adorare, conſciſſis tunicis exilierunt in turbas, clamantes ſe homines mortales eſſe. Interim Summo Pontifici id videtur prohibitum, ubi dicitur, *Caput non diſcooperiet, veſtimenta non ſcindet.* Et ideo SS Patres docent hic myſtice ſignificatū iam dilacerandum ſacerdotium legis, & à Iudæis auferendū. Non abſimili typo Samuel deſignatat regnum tollendum à Saule. Dum enim abiret Samuel à Saule, apprehendit Saul ſummitatem pallii eius, & ſciſſa eſt. Tunc dixit Samuel: *Scidit Dominus regnū Iſrael à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* Quapropter ſummum Sacerdotē ſic alloquitur S. Leo ſerm, 6. de Paſſ. *Caiphas ad exaggerandam auditi ſermonis invidiam ſcidit veſtimenta ſua, & neſciens quid hac ſignificaret inſania, ſacerdotali ſe honore privavit. Vbi eſt Caipha rationale pectoris tui? ubi continentiæ cingulum? ubi ſuperhumerale virtutum? Myſtico iſto ſacratoque amictu ipſe te ſpolias, & propriis manibus. Pontificalia indumenta diſcerpis? oblitus præcepi illius quod legeras de Principe Sacerdotum: De capite ſuo cydarim non deponet, & veſtimenta ſua non diſrumpet. Tu verò, à quo iam alienabatur hac dignitas, ipſe tibi es executor opprobrij, & ad manifeſtandum finem veteris inſtituti pertinet eadem diruptio Sacerdotij.* Hæc S. Leo.

*Reg. 37. 4. Reg. 19*

*Act. 14. Levit. 21*

*Veſtis ſciſſio quid hic ſignificarit. 1. Reg. 15.*

*Iſaia. 6.*

Sciſſis porrò veſtimentis, pronunciavit illum blaſphemum & reum mortis, cui inclamant cæleſtes Spiritus, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; imò qui eſt ipſa ſanctitas & vita. O verè perverſum judicium, ubi ſuperbia & ambitio judicabat, ubi invidia & malevolentia teſtificantur, ubi vis dominabatur, & impietas ſedebat in Tribunali, cui Furiæ infernales circum aſſiſtebant: Vnde poſt hanc condemnationem relictus inter manus miniſtrorum, tota nocte incredibiles injurias tulit.

*Varia iniuria Chriſto de nocte illata.*

1. Eius faciem ſputis fœtidiſſimis operuerunt. Ideo Matthæus dixit: *Expuerunt in faciem eius* turpiſſima phlegmata ſcilicet & excrementa fœtidi oris execrando, non unus tantum, ſed plurimi. Quid turpius? Erat hoc apud Judæos maximæ ignominiæ, ut patet. *Si Pater eius ſpuiſſet in faciem eius, nonne debuiſſet ſaltem ſeptem diebus rubore ſuffundi?* *Num. 12.*

Secundò, oculos eius velarunt, ut liberiùs in eum quælibet auderent, nam & quadam venerabilitate & ſplendore eius impediti videbantur.

Tertiò, palmis & colaphis eum & in facie & in corpore toto percuſſerunt. Atque hic adimplevit illud: *Si quis te percuſſerit in unam maxillam præbe ei & alteram.*

Quartò, evulſerunt ei crines capitis & barbæ, ut propterea dicat apud Prophetam: *Dedi genas meas vellentibus.* *Iſaia 50.*

Quintò, omni genere injuriarum, opprobriorum, blaſphemiarum eum onerarunt: *Prophetiza nobis, quis te percuſſit, & alia multa blaſphemantes dicebant in eum*, inquit S. Lucas. Et hæc prædicta erant per Prophetas, maximè per Iſaiam. *Dedi corpus meum percutientibus, & genas meas vellentibus: & non averti faciem meam ab increpantibus & conſpuentibus in me*, vel ut habent Hebræa, ab ignominiis & ſputo. *Iſaia 50.*

*Sampſon typus Chriſti. Lyranus Serrarius in hunc locum.*

Olim Philiſtæi illuſerunt Sampſoni, crines eius abradendo, oculos excæcando, in mola truſatili alligando, ac poſtmodum in templum Dei ſui Dagon adducendo, *ut luderet ante eos*, inquid Scriptura, Quis fuerit hic ludus variè explicant Interpretes. Quidam enim putant Philiſtæos Sampſonem cæcorum more in parietis impegiſſe & columnas ſicque illuſioni fuiſſe: Imò dicunt Sampſonem luſum feciſſe Philiſtæis, quia variis modis eum percutiendo & divexando, ridebant Vnde 70. Interpretes habent. *Colaphis cædebant, alapas ei dabant.* Typus fuit eorum quæ nunc geruntur. Ecce verus Sampſon, Iſraelis aſſertor & redemptor, non ab alienigenis, ſed à populo ſuo illuditur, velatur, alligatur, colaphis & palmis cæditur, calcibus percutitur, crinibus ſpoliatur, & longè pluribus & atrocioribus ignominiis afficitur, quam Sampſon à Philiſtæis Sed ſicut Sampſonis illuſio in eorum caput reverſa eſt, dum capillis eius cum fortitudine renaſcentibus ab eo oppreſſi ſunt ruina templi ſui, cujus columnas excuſſerat: Ita in caput recidet Iudæorum, illuſio, velatio, percuſſio: Obſcurabuntur enim oculi eorum ne videant, & velamen erit ſuper cor eorum, ne Domini gloriam contemplantur. Dorſum eorum incurvabitur plagis omnigenis & continuis Erunt in deriſum & illuſionem & maledictionem, dicente Domino, *Dabo eos in vexationem, afflictionemq́ue omnibus terræ regnis, in opprobrium, & in parabolam, & in maledictionem in univerſis locis ad quæ deieci eos.* *Iere. 24.*

Horrore certè plena ſunt omnia quæ hac nocte

erga Chriſtum geſta ſunt, ita ut nec mens ſatis capere, nec lingua aut calamus exprimere valeat. Hoc ſufficiat hic dicere. *Fecerunt in eum quæcumque voluerunt.* Quid non autem excogitarunt odio & rabie inſatiabili in eum adacti? Viciſſim ſibi ſuccedentes miniſtri impii, ut longioris noctis faſtidium ſublevarent, Satana inſtigante, in eum quælibet audebant, non ſolum blaſphemando, convitiando, maledicendo, ſed etiam corpore toto exagitando.

*Atrocitas iniuriarum Chriſto de nocte factarum in die iudicii revelanda.*

Hinc aliqui aſſerunt, ex mente S. Hieronymi aliorumque Sanctorum, multitudinem atrocitatemque iniuriarum noctis huius, nonniſi in die judicii revelandam. Certè innumeras per miniſtros impios tunc depromptas iniurias & blaſphemias in ſe voluit Chriſtus per pios Eccleſiæ ſuæ miniſtros quotidie in finem uſq; ſæculi compenſari, idque per Matutinas *H*oras & Laudes ubi omnes creaturæ invocantur ad ipſius benedictionem & præconium, loco maledictionis tunc perceptæ. Quid ergò dicemus de illa nocte? Neſcio quo nomine eam poſſimus compellare.

*Nox paſſionis Chriſti admirabilis, deplorabilis & crudelis, &c.*

Ex parte, myſteriis fœcunda eſt, & ideo admirabilis: ex altera parte ærumnis plena eſt, & ideo deplorabilis Crudelis Chriſto eſt, & luctu digna nobis interim felix eſt, & fructuoſa.

In illa myſteriorum myſterium inſtitutum eſt à Domino cum aliis nonnullis Sacramentis nobis maximè proficuis: O *noctem felicem:* In illa Chriſtus Arca myſtica adeo indignè & atrociter tractata eſt: O *noctem infelicem & crudelem.*

*Ita* ea præcipuum redemptionis noſtræ opus inchoatum eſt: O *noctem felicem, & à Deo ſpecialiter decretam.* In ea cum Principe tenebrarum certant viritim Filii tenebrarum, ut extinguant Lucem veram, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: O *noctem ex ea parte infelicem, Satanæ tenebris reſperſam, & illi gratam:*

An dicemus cū Job: *Noctem illam tenebroſus turbo poſſideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in menſibus. Verè* turbo eum poſſidebit tenebroſus, qui filios lucis diſperſit, & in fugam egit, quorum & unus prodidit Lucem, & alter ter eam negavit in tenebris: O *tenebroſum & infauſtum turbinem noctis huius.*

Sed etiam è contrario dicamus: O *nox fauſta, nox ſolitaria & laude digna:* in qua Gallus cantat, lapſis lucē novam & auroram nuncians: in qua ſolus contra Principem tenebrarum decertat Princeps lucis, & iam incipit triumphare? Numeretur ergo prīma in diebus anni, numeretur prima in menſibus, in qua tot mirabilia operatus eſt, *illе ſuper cuius humerum factus eſt principatus eius, qui vocatur, Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis.*

*Iſaia. 9.*

## LECTIO V.

### *De negatione Petri, & eius Pœnitentia.*

SEd examinemus turbinē tenebroſum, qui Petram & Columnam antea ſtabilem potuit dejicere illa nocte, non ſine magno Chriſti mœrore & dolore. Rem ſic narrant Evangeliſtæ. Quod ſcilicet Petrus ſecutus fuerit Chriſtum captivū à longè, amore quodam quo erga Dominum præ aliis ardentius afficiebatur, ſperans quod poſſet latere, & videre eventū rei.

*Diſcipulus Chriſti notus Pontifici quis fuerit.*

Adjunctus eſt ei & alius quidā diſcipulus, ita notus Pontifici, ut potuerit etiam ſecum introducere Petrum. Hunc multi putant fuiſſe Ioannem. Sed difficile videtur creditu? quod Ioannes vilis Piſcator & Galilæus familiaritatem haberet cum Caipha Pontifice in Jeruſalem, tantæ apud ſuos auctoritatis, & tantæ ambitionis. Deinde cum Joannes fuerit manifeſtus Chriſti diſcipulus, numquid idem ei objectum fuiſſet quod Petro, & idem periculum incurriſſet? Hinc alii putant non fuiſſe aliquem ex Apoſtolis, ſed civem aliquem Ieroſolymitanum familiarem Pontifici, occulum diſcipulum Chriſti, ad cuius domum Petrus fuga dilapſus venerit, & inde cum ipſo Dominum ſit ſecutus, qualis poterit eſſe Ioſeph ab Arimathæa, aut quiſpiam ſimilis. *Ita Cornelius, Ianſenius Concord. cap.* 138. Quiſquis autem fuerit, certè ob familiaritatem quam in ea domo habuit, potuit introducere Petrum, qui foris partim timore: partim verecundia prohibitus, ſtabat ad oſtium. Introductus Petrus permiſcuit ſe miniſtris in atrio ad ignem, modò ſtans, modo ſedens, modo accedens, modò paululum recedens, explorans quid ageretur. Hinc factum eſt, ut variæ interrogationes ei factæ ſint. Primum quidem ab ancilla oſtiaria. *Numquid ex diſcipulis hominis iſtius es;* Et negavit. Deinde ab alia ancilla ſimul cum Miniſtris, voce ancillæ hujus ad hoc motis. Et ruſus negavit cum juramento. Denique intervallo facto iterum interrogatus eſt à quibuſdam, cum quibus erat cognatus Malchi, aſſeverans ſe illum, vidiſſe in Horto: & tertiò negavit, etiam cum juramento & deteſtatione: ſive imprecando ſibi mala, ſi ita eſſet Et tunc Gallus bis cantavit, nam primum cantum, qui fuit poſt primam negationem Petri, non videtur ipſe percepiſſe.

*Vide Stephan Menochium in c. 26. Matth.*

Quod ergo aliqui Evangeliſtæ dicunt: *Antequam Gallus cantet, ter me negabis,* intelligendum eſt antequam cantum compleat, ſive ante illud tempus, quod propriè gallicinium dicitur, cum cantat circa auroram. Nam diſertè dicit, *Antequam Gallus bis vocem dederit,* ter me negaturus es.

*Mar. 14.*

*Negationis Petri varia cauſa.*

Hæc eſt ſumma hiſtoriæ negationis Petri, quam videntur variare Evangeliſtæ. Ex hac porrò negatione & caſu Petri nonnulla deducunt SS. Patres & doctores documenta ad noſtram inſtructionem & cautelam, quia

variæ

variæ fuerunt occaſiones & cauſæ hujus peccati, quæ à nobis ſunt vitandæ, ne ſimiliter cadamus.

1. Præſumptio.

Prima erga cauſa fuit ejus præſumptio, & nimia quam in ſe habuit fiducia. Il â nocte, Domino eum monente, ter præſumpſerat, unde & ter negat. Primò dixerat: *Animam meam pro te ponam.* Secundò, *Etſi omnes ſcandalizati fuerint, ſed non ego.* Tertiò: *Etſi oportuerit me ſimul commori tibi, non te negabo.* Vide progreſſum quemdam in aſſerendo per tres vices cum quodam incremento. Secutus eſt & trinus progreſſus in negando, ut ſibi innoteſceret trina præſumptio. Hic ergo docemur nihil præſumere, ſed infirmitatem noſtram conſiderare: *Qui ſtat, videat ne cadat.* Qui ante pugnam ſibi vendicavit victoriam, hic trepidat ante tubam. Non in tormentis & eculeo exiſtens, ſed mulierculæ tantùm voce pulſatus Chriſtum negat, quem priùs confeſſus fuerat Filium Dei vivi. Stricto enſi quomodò jugulum daret, qui mulierculæ vocem pavet? Ita fragilis eſt natura humana ſibi relicta, quam fragilitatem declarari conveniebat in eo qui præſumpſerat. Quòd ſi verò petra fundamentalis ita facilè dejicitur; quid faciet is qui petra non eſt, ſed pulvis, lutum, & cinis? Non abſimiles ſumus Statuæ Nabuchodonozor, cujus licet caput foret aureum, & brachia argentea, pedes tamen erant fictiles, ideóque veniens lapillus totum redegit in favillam. Sic in nobis caput aureum opera ſunt, & dona divinæ charitatis erga Deum, brachia argentea, charitas & miſericordia erga proximum: ſed omnia opera & merita noſtra, & bona propoſita fundata ſunt ſuper lutum, ita ut ſi tentatio veniat quaſi lapilius, & noſtros tangat pedes, hoc eſt carnem & concupiſcentiam, mox omnia abeant in favillam, & diſpereant. An non vox ancillæ quaſi lapillus deiicit Petrum.

2. Societas malorũ. Eccli. 13.

Secunda occaſio peccati Petri fuit ſocietas malorum. Ingreſſus enim erat aulam impii Pontificis, & alios Apoſtolos deſeruerat, atque impiis miniſtris ſe immiſcuerat. *Qui tangit picem, inquinabitur ab illa.* Multis ingreſſus & converſatio aulæ non ſine diſcrimine eſt, nec ſine crimine. Ibi multa vitia affricantur; ibi amoris divini ignis interior extinguitur, dum ad ignem exteriorem ſedetur, ut factum eſt hic in Petro: ibi mendacium negatio, periurium reperitur, & alia crimina non pauca, quæ hic poſſent latiùs deduci. Sicut enim dicit S. Amb. in Luc. l. 10. c. 22. *Vbi Petrus negat Chriſtum? Non in monte, non in templo, non in ſua domo, ſed in Prætorio Iudæorum, in domo Principis Sacerdotum. Ibi negat, ubi veritas non eſt. Ibi negat, ubi Chriſtus captus, ubi ligatus eſt.* Sic dicere poſſumus adhuc hodie in domo Principum Chriſtũ ſæpe negari, ligari, crucifigi, blaſphemari; ſive propter aleas, taxillos, & luſus pernicioſos intra domeſticos parietes; ſive propter exactiones concuſſiones, extorſiones à Principibus & aulæ miniſtris foris factas; quia ſic Chriſtus in membris ſuis ligatur, concutitur, percutitur, crucifigitur, ſanguiſque eius exugitur.

3. Colloquiũ cũ ancilla. NOTA.

Tertia occaſio fuit colloquium cum ancilla, ſive cum muliere. Quapropter S. Maximus dicit peccatum Petri & Adæ ſimilitudinem quandã habere, utrobique Diabolus, & Vir, & Mulier. Et utraque mulier janitricis & oſtiariæ munus uſurpat: illa Adamo, hæc Petro mortis ianuam aperiens. Vtraque inſtrumentum diaboli ad fortes columnas evertendas; illa per petitionem iniquam, iſta per interrogationem ſacrilegam. Ianitrix procax, oſtiaria inferni, Ianitorem aggreditur Cœli, eumque vincit: & non mulcendo aut alliciendo, ſicut Eva, ſed terrendo in peccatum inducit. Fœmina autem quæ in alliciendo potens eſt, terrendo certè imbecillis eſt & impotens.

Peccatũ Petri ex multis aggravatur.

Quapropter peccatum Petri gravitatem quamdam ſortitur à variis circumſtantiis.

1. A perſona dignitate.

Primò à perſonæ dignitate, Petrum enim Chriſtus evexerat ſuper omnes Apoſtolos, & Caput eorum ipſum conſtituerat, unde firmior eſſe debebat; variis quoque beneficiis & prærogativis eum adornarat, viſione transfigurationis, revelatione ſuæ divinitatis. Vnde conqueri videtur Dominus verbis Iob. 16. *Abominati ſunt me Conſiliarii mei, & quem maxime diligebam; averſatus eſt me.*

2. Ab occaſione.

Secundò ab occaſione, non enim agit inter ſupplicia; non per eculeum interrogatur, non à Pontificibus aut à Principibus, ſed à mulierculis & ſervis vilibus. Quantò ab imbecilliori hoſte victus, tantò turpius cadit. *Ancilla eſt, Oſtiaria eſt, inquirendo tentat*, inquit Sanctus Gregorius in lib. 17. moral. quid imbecillius?

3. A prævia promiſſione.

Tertiò à prævia promiſſione: *Etſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Quartò à numero negationis; non enim eſt ſimplex negatio, ſed trina & ſecunda quidem cum curamento, tertia cum deteſtatione.

Cur Deus Petrum labi permiſerit.

Cæterum ex parte Dei varias rationes afferunt SS. Patres, cur Deus Petri lapſum permiſerit.

Reſp. 1.

Prima eſt Sancti Greg. homil. 21. in Evang. ut Petrus præficiendus cæteris Paſtor univerſalis, lapſis commiſereri, & non auſtero animo eſſe, diſceret. Eandem repetit epiſt. ad Epiſcopos Galliæ: *Plus erga corrigendos agat benevolentia, quam ſeveritas, plus cohortatio, quàm commotio; plus charitas, quàm poteſtas cùm nemo veſtrum ſine peccato aut reprehenſione vivat. Si Dominus Petrum poſt primam negationem iudicaſſet, non talem ex eo fructum recepiſſet.*

Reſp. 2.

Secunda eſt S. Leonis ſer. 9. de Paſſ. *Vt in Eccleſia Principe remedium pœnitentiæ conderetur, & nemo auderet de ſua virtute confidere, quando nec mutabilitatis periculum B. Petrus potuiſſet evadere.*

Reſp. 3.

Tertia eſt Sancti Ambroſii & aliorum, ut ferventiùs reſurgeret, & ſemper ei ſtimulus foret humiliationis majoris, Immò & amoris ardentioris. *Cui plus dimittitur, plus diligit.* Hinc etiam tertiò interrogatur de amore, *& redditur*

*negationi trinæ trina confeſſio, ne minus amori lingua ſerviret, quàm timori,* inquit S. Auguſt. tract. 123. in Ioan.

*De pœnitentia Petri.*

VIdiſti lapſum? Nunc cõſidera Petri pœnitentiam, & qui ſecutus es errantem ſequere pœnitentem, Gallus cantavit, *& converſus Dominus reſpexit Petrum, recordatuſque eſt Petrus verbi Domini Ieſu, & egreſſus foras flevit amarè.* Excitatus eſt exterius per Gallum, interiùs per Chriſtum. Non erat ſufficiens Galli cantus, niſi etiam reſpiceret Dominus. Galli cãtus in peccatore, eſt remorſus conſcientiæ. Galli cantus vox eſt admonentis Prædicatoris, *ut iacentes excitet, & ſomnolentos increpet.* Galli cantus verbum eſt Dei, evigilare faciens peccatores. Sed vox exterior, verbumq; externum parum proficit, niſi intus ad cor loquatur Dominus, oculorumque ſuorum radiis illud illuſtret. Vndè ad primum Galli cantũ non eſt ad pœnitentiam commotus Petrus, ad ſecundum reſpiciente Domino eſt converſus. *Quos Ieſus reſpicit, plorant delictũ* inquit S. Ambroſius. *Negavit primò Petrus, & non flevit, quia non reſpexerat Dominus, Negavit ſecundò, non flevit quia adhuc non reſpexerat Dominus. Negavit tertiò reſpexit Ieſus, & ille amariſſimè flevit. Si ergo ita ſunt neceſſarii oculi tui, Domine, reſpice in me & miſerere mei. Reſpice ut ſciamus noſtrum deflere peccatum, lavare delictum.* Hæc Amb.

*Aliqui putant etiam oculis corporis Chriſtum reſpexiſſe Petrum.*

Interim hæc fuit magna Domini miſericordia & benignitas, quòd in mediis calumniis & anguſtiis, inimicis ſuis undique obſeſſus & oppreſſus, horum omnium velut oblivifcens, de Diſcipulo cogitat, & ad eum convertit ſe, ſi nõ corpore (quia Petrus exterius erat in atrio, Chriſtus in aula interiori) certè corde; ſicque divinæ lucis radios in eius mente facit luceſcere, ut frigus & tenebras ab eo pellat. Immò accendit & in eius corde ignem, à cuius facie cor ſicut cera liqueſcebat; ideo *egreſſus flevit amarè.* Hæc verò lachrymæ nõ ex timore pœnæ, ſed ex amore procedebant juſtitiæ, & ex Redemptoris fide & dilectione. Conſideravit nãque quomodo eum offenderat, à quo tot favoribus prævẽtus fuerat, & quomodò amore vitæ ſuæ & vitam ipſam negarat. Ideo dicere poterat: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis lachrymarum fontem ut plorem die ac nocte, quia inimicus ſupplantavit me.* Equidem cecidit Petrus, & charitatẽ ad breve tempus per inconſtantiam & timorem perdidit, ita ut à peccato mortali eũm excuſare non valeamus. Non tamẽ fidem totaliter perdidit; (*Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua,*) quamvis contra fidei peccarit confeſſionem. Atque in ipſo ferè lapſu erectus eſt, & citò in ſoliditatem ſuam rediit petra, tantam recipiens fortitudinẽ, ut quod in Chriſti expaverat paſſione, in ſuo poſt ſupplicio nõ timeret. Converſus ergo Dominus reſpexit Petrum, & *Petram convertit in ſtagna aquarum, & Rupem in Fontes aquarum;* ſicq; factum eſt, ut fons charitatis lavaret verba formidinis, & ad diluendam culpam negationis, lachrymæ virtutem haberent baptiſmatis. Quam gratæ Domino hæ fuerint lachrymæ, etiam ex eo conſtat, quòd reſurrectionis ſuæ nuntiũ ſpecialiter Petro voluerit nuntiari. Nec ſemel Petrus has fudit lachrymas, ſed, ut teſtatur S. Clemens, tota eas vita fovit, & ad Galli cantum reſuſcitavit. Audito enim Galli cãtu, mox ſeipſum excitans, orationi vacabat, & lachrymis genas rigabat: ita ut & in oculis, & in facie, lachrymarum remanſerint toto vitæ decurſu notæ & veſtigia. O felix Galli cantus! ô felices lachrymæ! ô felix pœnitentia! ô felices oculi, qui fontes fuere lachrymarum coram Deo acceptabilium, & omni ſæculo admirabilium! Defluebant hæ lachrymæ ſilenter per genas ſine voce & ſtrepitu, ſed irrigabant & fœcundabant cor eius, *quaſi aquæ Siloe quæ fluunt in ſilentio:* Aſcendebãt deinde in Cælum, efficaces ad gratiam coram Domino. Nec abſimiles erant aquis Marath in deſerto; quia ſicut illæ amaræ quidem erant primùm ex ſe, ſed ſuaves poſtmodum immiſſo ligno: ita hæ lachrymarum aquæ amaræ erant ex dolore offenſæ; ac ſuaviſſimæ ex Redemptoris amore, quaſi ex ligno vitæ.

Ierem. 9.

Luc. 22.

Pſal. 113.

*S. Petrus ſemper ad galli cãtum flevit. Cle. l. 2. Recog.*

Iſa. 8.

## LECTIO VI.

*De his quæ mane geſta ſunt in Concilio Iudæorum, & de pœnitentia Iudæ.*

POſt tot injurias & tormenta in domo Caiphæ nocte tota inflicta à tartareis miniſtris, ſummo mane iterum congregati Sacerdotes, Scribæ, & Seniores populi in concilio ſuo Sanedrim, quod ex ſeptuaginta duobus conſtabat, rurſus interrogant, ſi Chriſtus ſit, & ſi perſiſtat in ea aſſertione, quòd ſit Filius Dei. Licet enim hoc noctu ſatis foret examinatũ, & ſuper hoc pronunciata ſentẽtia: Tamen cùm nocturnum tempus, non ſit judiciis aptum, nocte lata ſententia non eſt valida, prout etiam habetur *Authentica de iudiciis. Quapropter & Moyſes iudicabat populum à mane uſque ad veſperam, non ultra.* Non indulſerunt quieti aut prolixo ſomno hi ſanguinarii, ſtimulante eos invidiæ furore; ſed ut peſſimas ſuas ſcrutationes efficaciter in necem Chriſti quantocyus perducerent, magno deſiderio expectant lucem diei. Verum appoſitè S. Leo ſic eos arguit ſer. 3. *Hoc mane, ô Iudæi non ortus vobis Iuris contigit, ſed occaſus; nec veſtris oculis ſolitus dies prodiit, ſed in piis mentibus nox tetra caecitatis incubuit. Hoc mane vobis templum & altaria diruit, legem & Prophetas ademit, regnum & ſacerdotium abſtulit, in luctum æternum omnia feſta convertit. Iniiſtis enim inſanum cruentumque conſilium tauri pingues, vituli multi, frementes beſtiæ canes rabidi, ut morti auctorem vitæ & Dominum gloriæ traderetis.*

*De hoc concilio Sanedrim.*

Num. 11. & Deut. 17.

Exod. 3.

Sed ſi ipſi diem hunc & lucem expetierunt in ſuum malum, multò magis expectavit Dominus in

totius

totius orbis bonū. Nō poterat ſomnū aut quietem captare, niſi in Crucis lecto. Hunc ergo diē in quo redemptionis noſtræ opus erat conſummaturus, jam à triginta tribus annis exoptarat: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodò coarctor donec perficiatur in me.* Fine autem jam appropinquante, quàm maximè illū deſiderabat, & ut ſuum diem reputabat, utpote vitæ mortalis coronidem, ſalutis noſtræ complementum, omnis boni originem. In illo namq; cœlum aperire debebat, infernum claudere, benedictionis fontes omnibus reſerare, & voluntatem Patris conſummare. *Luc. 12.*

*Judæorū in malo conſtātia ſummè Chriſtū afflixit.*

Interim cor ejus piiſſimum non parū cruciabat adverſariorum ſuorum infatigabilis in malo conſtantia, in filiis perditionis tanta diligentia ad perficiendum ſummum malum, ſcelus peſſimum, innocui hominis parricidium, imò Deicidium: ita ut ad id peragendū, & inſidias noctis, & vigilias jungerent matutinæ lucis, eadem inquirendo, replicādo, urgendo, ut damnationis cauſam confirmare valerent. Congregati ergo mane duxerunt Jeſum in concilium ſuum, dicentes: *Si tu es Chriſtus, dic nobis.* Luc. c. 22. Non veritatem deſiderabant, ſed calumniam præparabant. Vnde ait illis: *Si vobis dixero, non credetis mihi, ſi autem & interrogavero non non reſpondebitis mihi, neque dimittetis.* Quaſi dicat: Si vobis dixero me eſſe Meſſiam, non credetis mihi. Quod ſi etiam vos interrogavero, & ex ſcripturis vobiſcū diſſerendo, vos convincam me eſſe, nō reſpondebitis, neque liberum me facietis, nec argumenta mea diſſolvetis, ut expertus alias ſubinde fui. Nō ergo hoc agitis, quod in legitimo judicio agi debet, ut cognita veritate nocentem condemnatis, vel innocentem dimittatis; ſed hoc ſolum, ut mortem, quam mihi certo inferre decreviſtis, prætextu juſtitiæ obveletis. Attamen Dominus, ne videatur metu mortis veritatem reiicere, confitetur ſe Chriſtum magna cum modeſtia & prudentia, dum adjungit: *Ex hoc autem erit Filius hominis ſedens à dextris virtutis Dei.* Ipſi enim inferunt ex his verbis interrogativè: *Tu ergo es Filius Dei?* Reſpondetque: *Vos dicitis, quia ego ſum.* Hoc eſt, veritatem aſſeritis, ita enim eſt. Hac phraſi ſolet Dominus cum modeſtia veritatem interrogatā confiteri. Hac igitur veritate confeſſa, ulteriori dicunt ſe non egere teſtimonio, ſed vinctum ducunt ad Pilatū, ab eo ſicut & ab ipſis condemnandum. *Tradiderunt eum Pilato*, inquit Sanct. Leo ſer. 8. *tanquam Romanis devoti legibus omne judicium poteſtati Cæſaris reſervaſſent. Sed experierunt magis executorem ſævitiæ, quam arbitrum cauſæ. Offerebant eum duris noxibus vinctum, colaphis cæſum, clamoribus prædamnatum, ut inter tot præjudicia, quem omnes vellent perire, non auderet Pilatus abſolvere.* Ita S. Leo.

*Chriſtus vinctus manibus ad Pilatū ducitur.*

Chriſtū vinctum manibus ducunt ad Pilatum, collo ejus catena ferrea injecta, quam aliqui dicūt Ieroſolymis diu ſervatam, ejuſque contactu dæmonia à multis obſeſſis depulſa. Vide Salmeron tract. 24 to. 10. Certe S. Baſilius in Myſtagogia Eccleſiaſtica dicit Jeſum ductum fuiſſe ex collo vinctum, in cujus typum Sacerdotes utuntur ſtola ex collo dependente. Quicquid ſit; abſq; dubio ignominioſe & acerbe tractus fuit per mediam Ieruſalē cum clamore, tanquam reus mortis, ut in prætorium Pilati duceretur; magnuſque fuit populi concurſus ob diem feſtum undique confluentis.

*De pœnitentia Judæ.*

Videns Iudas quod Chriſtus damnatus eſſet, à concilio ſcilicet Sacerdotum & Seniorum, quodque jam duceretur ad Pilatum, ut ab eo ſententia confirmaretur, *pœnitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & Senioribus dicens: Peccavi, tradens ſanguinem iuſtum. Vide veritatem undique fulgentem*, inquit S. Chryſoſtomus, *Proditor de ſeipſo dat teſtimonium, & eorū qui condemnaverunt, oppilat ora.* Habebant quendam impietatis ſuæ prætextū, quod à diſcipulo intimo Chriſtus eſſet proditus, qui videri poterat ob occulta forſitan Magiſtri facinora ab eo defeciſſe: at nunc omnis prætextus ſublatus eſt, quando eis cōfeſſus eſt ſe peccaſſe, & quando ipſam pecuniā refudit, aſſerens innocuum ſanguinem ſe tradidiſſe. Reſponderunt vero illi: *Quid ad nos? Tu videris.* Sive nocentem, ſive innocentē prodideris, quid noſtra refert? O reſponſio audax, atque cæca! Emiſſe ſe juſti ſanguinem audiunt, & tamen extra reatum ſe eſſe credunt, & in vendente ſcelus conſtituunt. Nec intelligere voluerūt, quod ſi peccavit ille qui tradidit ſanguinem juſtum, multo amplius peccaverunt qui emerunt & pretium offerendo diſcipulum ad proditionem provocarunt. Tamen & ipſa ſua reſponſione ſatis ſe condemnant impietatis, cum ſignificant ſibi parum curæ eſſe, juſtene an injuſte emptus ſit aut traditus?

*Judas deſperans laqueo ſe ſuſpēdit.*

Videns itaque Judas ſe deriſum, conſcientia eum mire intus torquente, projecit argenteos in templum, & abiens cum deſperatione laqueo ſe ſuſpendit. Sic nempe claudit oculos Dæmon dum homines peccant, ne ſui peccati enormitatem agnoſcant: poſt peccatum autem illos aperit, ut deſperent. Proponit peccantibus Dei miſericordiā, ut peccent in ſpe: poſtmodum eius aggravat juſtitiam, ut animum deſpondeant cum cōfuſione. Sic multi putant quod in fine reperient unum bonum *Peccavi*, & non inveniunt niſi unum peſſimum *Deſperavi.* Interroga Judam. Ipſe tamen gravius peccavit deſperando, quam ſanguinem juſtum fundendo; quia ſanguis quem fundebat, poterat & ipſum quo fundebatur peccatum abolere. Poterat ad fontem miſericordiæ redire per ſpem veniæ, & invenire remediū, ſi non feſtinaſſet ad laqueum. Infœliciſſime ergo abiens ſe ſuſpendit: infeliciſſime tanquam alter Abſalon in arbore funeſtâ pendet, tribus confixus lanceis, avaritia, parricidio, deſperatione. Per hæc tres accepit lethales ictus, qui æterna eum morte confixerunt. O mortalium infortunatiſſime, quam exili pretio ſimul cum ſanguine Salvatoris Apoſtolicam dignitatem, jus pri- *Judas alter Abſalon.*

mogenituræ inter Filios Dei vendidiſti? Quam
exili nummo æternitatis pœnas tibi emiſti? Sed
cur ad laqueum, ad funem, ad arborem funeſtam
currebas? Cur non potius ad funes Domini atroci-
ter colligati pœnitens refugium habuiſti? Cur non
ad Columnam, eius ſacro cruore purpuratam?
Cur non ad fœlicē Crucis arborem, ubi remiſſio-
nis fructum carpere poteras? Certe ibi adhuc tibi
patebat porta gratiæ, ianua miſericordiæ, non mi-
nus quam Petro, non minus quam Latroni perdi-
tiſſimo. Cur de illius diffidis bonitate, qui te à
Corporis & Sanguinis ſui non repulit communio-
ne, quique ad comprehēdendum ſe venienti pacis
oſculum non negavit? *Sed tu ô miſer! quaſi ſpiritus
vadens & non revertens, cordis tui ſecutus es rabiem:
& ſtante Diabolo à dextris tuis, iniquitatem, quam in
Sanctorum omnium armaveras caput, in tuum ver-
ticem retorſiſti; ut quia facinus tuum omnem men-
ſuram ultionis excesſerat, te haberet iniquitas tua
iudicem, te pateretur pœna tua carnificem,* inquit S.
Leo ſerm. 3.

*Iuſtum Dei iudicium in morte Iudæ.*

Attendamus ergo juſtum Dei judicium in mor-
te Iudæ, & in pœna eam ſubſequente. Primo qui-
dem laqueo ſe ſuſpendit, ſtrangulavit, ſuffocavit.
Quid ita? Audi Bedam. Act. 1. *Vt guttur, per quod
vox proditionis exierat, laquei nodus necaret.* Audi
1. & S. Auguſtinum hom. 27. inter 50. *Vt ſignificare-
tur, quod ſicut laqueo reſpiratio, ita deſperatione Spi-
ritus ſanctus prohibetur.*

2. Secundo, per ſuſpendium interire meruit, quaſi
indignus cœlo & terra, hominum ſcilicet vel An-
gelorum conſortio; conſors Dæmonum factus,
quibus aer caliginoſus uſque in diē iudicii eſt de-
putatus. Beda in locis ſanctis c. 4. & Iuvēcus Poeta,
putant Iudam ſe ſuſpendiſſe è ficu, quæ adhuc Hie-
roſolymæ iſto tempore oſtendebatur. Alii è ſam-
buco ſuſpenſum dicunt. Romæ quotannis è ſam-
buco ſuſpendebantur canes, eo quod Gallis Seno-
nibus in Capitolium irrepentibus nō latraſſent in-
quit Plinius l. 29. c. 4. Hæc arbor infrugifera inter
infelices arbores ſuſpendio deſtinabatur, iuxta il-
lud Livii l. 1. *I lictor, caput obnubito, infelici arbori
ſuſpendito.* Certe Iudas velut canis in Dominum
inſurgens meruit tali arbori infauſtæ appendi.

*Mariana, & ex eo Cor. Lap in 1. Act.*

3. Tertio, *ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt
omnia viſcera eius; tum* quia maledictio *intravit ſi-
cut aqua in interiora eius;* tum quia nulla habuit er-
ga Dominum ſuum miſericordiæ vel pietatis viſ-
cera; tum quia anima ſacrilega non meruit per os
exire, quo oſculatus fuerat Chriſtum, ſed exivit
per viſcera illius, qui fuit inſtar feræ dilaniatæ ab-
ominabilis.

4. Quarto, dicamus quod ſuſpenſus ſit, quia fur
erat: quod in partes ſciſſus eſt, mediuſque crepuit,
quia proditor erat: quod æternum damnatus ſit,
quia deſperaverat: quod extra cœmeterium ſepul-
tus ſit & in agro periit, quia ſacrilegus & ſimonia-
cus fuit, vendens rem adeo ſacram. Aliqui eum ſe-
pultū dicunt in agro figuli empto ei quod dicitur:
*Hic poſſedit agrum iniquitatis;* quia in eo ſepultus
fuit, inquit Rabanus. Sed aliter interpretatur S. *Act. 1.*
Greg. lib. 1. Moral. cap. 9. *Poſſedit,* id eſt, poſſidere
facit: ſive poſſedit pretium quo ager emptus eſt,
ideoque agrum poſſediſſe figuratè dicitur, ut alii
Interpretes dicunt.

Itaque è pecunia illa *emerunt agrum figuli,* qui
dictus eſt *Ager ſanguinis,* dicentes non licere pre-
tium ſanguinis mittere in *Carbonam,* ſive in locum
ubi oblationes reſervabantur. Quare eos ſic allo-
quitur Sanctus Auguſtinus: *Qualis illa innocentiæ
ſimulatio, pecuniam ſanguinis non mittere in arcam,
& ipſum ſanguinem mittere in conſcientiam?* Con-
formiter Sanct. Leo: *Pretium mitti in gazophylaciū
noluiſtis, ne ſacros loculos cruenta pecunia pollueret.* *Leo ſer. 6 de Paſſe Matt. 21.*
*Sed quamlibet vos fallacia circumtegatis umbracu-
lis, initum eſt cum traditore commercium, quod iu-
ſtum ſanguinem ſi non licuit comparari, ita non de-
buit effundi.* Addit Evangeliſta: *Tunc impletum eſt
quod dictum eſt per Hieremiam: Acceperunt triginta
argenteos, pretium appretiati à filiis Iſrael, & dede-
runt eos in agrum figuli.* Putant aliqui irrepſiſſe no-
men Hieremiæ pro Zacharia, quia Zachariæ 11.
quid ſimile habetur, nec reperiretur in Hieremia.
Alii tamē deſumptum dicunt ex Hieremiæ alio li-
bro, qui non extat. Vide paſſim Interpretes in c.
27. Matth. & in cap. 11 Zach.

Iſtius autē ſententiæ brevis hic ſenſus eſt: *Ac-
ceperunt triginta argenteos.* Principes Sacerdotum.
qui argentei erant pretium Chriſti appretiati, *quē
appretiaverunt à filiis Iſrael,* ſive quem ab uno ex
filiis Iſrael emerunt, à Iuda ſcilicet, *& dederunt eos
in agrum figuli,* ſive expenderunt eos in agrum fi-
guli, qui ſic dictus eſt, vel quod ad figulum perti-
neret, vel quia materiam aptam ad vaſa figulina
præberet, vel quod teſtatum fragmenta in illum
proiicerentur. *Sicut conſtituit mihi Dominus,* hoc
eſt, ſicut conſtitutum Dominus mihi revelavit, &
ſuo tempore implendum oſtendit.

*Dei ordinatione pretium ſanguinis Chriſti in peregrinorū ſepulturam converſum.*

Cæterum, non eſt dubitandum, ex Dei ſpeciali
ordinatione factum fuiſſe, ut illa pecunia in ſepul-
turam Peregrinorum propria ſepulchra non ha-
bentium impenderetur, quia & hoc ad Iudæorum
ignominiam, & ad maiorem Dei gloriam cedere
debebat. Iſtud enim perpetuum fuit impietatis eo-
rum monimentum, quod non potuit è memoria
hominū obliterari; quia notum factum eſt ex ipſo
nomine, ipſos à Iuda Sanguinem Chriſti emiſſe.
Et ita licet ipſi ſuum ſcelus hac agri emptione in
ſpeciem pia obruere & ſepelire vellent, tamē quo-
ties *Agrum ſanguinis* nominabant, toties homici-
dium ſuum & ſanguinem Chriſti à ſe fuſum reme-
morabant: qui Sanguis non alio quā ipſorummet
ſanguine expiandus erat, ut factum eſt per Titum
& Romanos. Gloria quoq; Chriſti hic effulgebat
in myſtica ſignificatione; quia per hoc quod eodē
pretio quo Dominus fuit venditus, emptus ſit ager
pro ſepultura Peregrinorum, ſignificabatur mor-
te Chriſti comparatā veram quietem iis qui velut

advenæ

advenæ & peregrini hic degunt, jus ſupernæ civitatis Ieruſalem conſecuti: Sanguinem quoq; Chriſti potiſſimum peregrinis & advenis gentibus profuturum, pereuntibus in ſua impietate ob incredulitatem Iudæis. Hinc & illa pia oratio in cœmeterii reconciliatione ex Pontificali: *Domine pie, qui agrum figuli pretio ſanguinis tui in ſepulturam peregrinorum comparari voluiſti, quæſumus, reminiſcere clementiſſimi huius myſterii: Tu enim figulus noſter, tu quietis noſtræ ager, tu agri pretium, tu in pretio & de pretio tui Sanguinis nos requieſcere donaſti Tu ergo hoc Cœmeterium. Muſolæum peregrinorum tuorum, cœleſtis patriæ incolatum expectantium purifica & reconcilia, & corpora tumulandorum hic ad gloriam reſuſcita &c* Quod ſi latius vis videre myſterium hic latens, lege S. Ambroſium l. 10. in Luc. cap. 22. in fine.

Hoc pro concluſione adjiciamus hic. Cum proditio Iudæ tantam cordi Ieſu infixerit triſtitiã & dolorem; quantum putas illum auxit ipſius Iudæ æterna perditio ob ſuſpendium & deſperationem! Poterat dicere quod olim de Abſalone David: *Fili mi Abſalon, quis mihi det ut moriar pro te:* Terruerat pœnis, allexerat beneficiis, pedes laverat cum diſcipulis, admiſerat ad cõmunicationem Corporis & Sanguinis, præbuerat oſculum oris, proſtraverat vi ſuæ poteſtatis ut ad pœnitentiam reduceret. Sed, eheu! deſperatione & ſuſpendio omnem Chriſti circa ſe laborem & pietatem reddit inanem, atque ipſam Redemptoris ſui mortem ſibi facit inutilẽ. O ſtimulum acerbiſſimi doloris! Hunc auxit exultatio inimici de capta præda, diffamatio amplior ſui atque cœtus Apoſtolici, quia unius delictum in omnes ſocios ſolet traduci. Denique maxime auxit cordis triſtitiam perfidia duriſſima Iudæorum, quos nec peccati confeſſio, nec pretii reſtitutio, nec ſuſpendii abominatio ad cor reduxit; quia nec Iudæ confitenti, nec pretium projicienti, nec ſe in ſuſpendenti crediderunt.

## LECTIO VII.

*De adductione Chriſti ad Pilatum, & de his quæ apud eum geſta ſunt.*

Ioan. 28. ADduxerunt Ieſum á Caipha in Prætorium, & nõ introierunt, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha. Prætorium vocabant domum Pilati, ubi Prætor & Præſes Romanus iudicabat, Paſcha quoque vocabant, non ſolum Agnum Paſchalem (quem præcedente veſpera eos comediſſe, communior eſt ſententia Interpretum) ſed etiam omnes hoſtias Paſchales, ovium, vitulorum, boum, quas totis illis ſeptem diebus offerebant, & ſi immundi fuiſſent, abſtinere debuiſſent, Levit. 22 *Immunditiam autem reputabant, domicilium hominis Ethnici & circumciſi ingredi.* An non hic culicem excolantes, camelum glutiebant? Audi Sanctum Auguſtinum: *O impia & ſtulta cæcitas! Habitaculo ſcilicet contaminarentur alieno, & non contaminarentur ſcelere proprio: alienigenæ Iudicis Prætorio contaminari timebant, & fratris innocentis ſanguinem fundere non timebant.* At vero dolendum, quod non pauci è Chriſtianis haud abſimiles ſint his Iudæis, qui in externa quadam obſervantia pietatis religioſe ſe gerunt, intus autem odia fovent, & alia multa vitia. *Quod de foris eſt Calicis, videntur emundare*, cum intus pleni ſint veneno & abominatione. *Sanctifica eos Pater in veritate*, & non in obſervantia ſolum exteriore. Fuga à filiis tuis omnem hypocriſim & ſimulationem, ut ſerviant tibi integro & mundo corde, ac epulentur coram te *in azymis ſinceritatis & veritatis.* O quam cæci ſunt, qui pietatem & innocentiam foris mentiuntur, intus pleni crimine, quique dum homines fallunt recti ſpecie, non cogitant ſe Deum non poſſe fallere. Ioan. 17.

*S. Chryſoſt. & Cyrill. putant Iudæos diſtuliſſe Paſcha in illum diem.*

Pilatus interim, etſi poſſet eis exprobrare ſe contemni, quod dedignarentur habitaculum Præſidis Romani ingredi, ideoque & viciſsim potuiſſet eos dedignari, nec audire, nec adire: tamen cõdeſcendens quadam politia illorum religioni, *Exivit foras, & interrogavit: Quam accuſationem affertis adverſus hominem hunc?* ſic ſcilicet vinctum, ſic conſputcatum, & ſic ignominioſe per Civitatem adductum, & mihi præſentatum ut reum? Illi vero non minus malitioſe & impiè, quam ſuperbe reſpondentes, dixerunt: *Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum.* Superbe ſuam prætendunt auctoritatem & religionem, volentes per hæc judiciariam premere inquiſitionem, quaſi ſufficere ei deberet auctoritas hæc adverſariorum atque religio. Doloſe interim & impie id agunt, ſcientes ſe in accuſationibus juſtis ac probationibus deficere. Immo eum tradunt tanquam malefactorem publicum, cui non ſit dandus locus defẽſionis, quaſi dicant illud Ambroſii: *Evidentia patrati criminis non indiget clamore accuſatoris.* Itaque, ut ſceleratiſſimum malefactorem publice notum voluerunt infamare illum, de quo ſcriptum eſt. *Pertranſiit benefaciendo omnibus* Interrogentur liberati à ſpiritibus immundis, ſanati à languoribus, leproſi mundati, ſurdi audientes, muti loquẽtes, cæci videntes, mortui reſurgentes, utrum ipſe ſit malefactor; Pilatus autem nonnihil eorum ſuperba reſponſione offenſus, & ſciens quod per invidiam tradidiſſent eum, dixit: *Accipite eum vos & ſecundum legem veſtram iudicate.* Quaſi dicat: Si talem vos eum noſtis, & ſufficit vobis veſtra examinatio, ſufficiat & vobis veſtra lex, ſententia & iudicium: ego inauditum non judico, aut condemno; nec lex noſtra id permittit. Act. 10.

Dixerunt ergo Iudæi: *Nobis non licet interficere quenquam.* Recte vero Sanctus Auguſtin. *Quid eſt quod loquitur inſana crudelitas? An non licet interficere quem interficiendum offerebant: An non interficiebant, cum clamabant: Crucifige? An non*

lex

*lex ordinat homicidas, adulteros, & ſimilium reos ſce*
*lerum occidere vel lapidari? Niſi hoc forte dixerunt*
*propter diei feſti venerationem, quia non liceret eis in*
*die feſto occidere hominem; ob cuius etiam veneratio-*
*nem Pretorium iudicis intrare noluerunt. Occidiſtis*
*tamen, ô falſi Iſraelitæ! quando apprehendiſtis, du-*
*xiſtis, tradidiſtis, & crucifigi popoſciſtis. Audite quod*
*contra vos Propheta clamat: Filii hominum, dentes*
*eorum arma & ſagittæ, & gladius acutus lingua eo-*
*rum. Ecce quibus armis, quibus ſagittis, quibus gla-*
*Quo non* *diis iuſtum interfeciſtis.* Hæc S. Auguſtinus. Ex mẽ-
*licuerit* te igitur illius, cui conſentit Cyrillus lib. 12 cap. 6
*Iudæis* ideo Iudæi dixere ſibi non licere interficere, ob ſo-
*quenquã* lemnitatem, & dies feſtivos azymorum. Nam non
*interfice-* licuiſſe Iudæis in die azymorum quenquam inter-
*re.* ficere, colligitur ex act. cap. 12. ubi legimus Hero-
*Act. 12.* dem apprehendiſſe Petrum, quia autem dies azy-
morum erant, *tradidit militibus cuſtodiendum, ut*
*poſt Paſcha produceret eum populo,* & interficeretur.
*Vid.* Interim Iudæi, licet ſe excuſent ratione temporis,
*Card.* urgent tamen ut per Pilatum fiat, quaſi in mora eſ-
*Tolet. in* ſet periculum, ſi quantocyus de medio non tolla-
*Ioan. c. 17* tur. Sic quoque ſe exiſtimarunt invidiam & ſcãda
lum plebis evaſuros, ſi in tanta ſolemnitate per
Gentiles, milites & Romanum præſidem eum in-
terficerent. Aliorum opinio eſt non minus proba-
bilis, Iudæos ideo dixiſſe nõ licere ſibi interficere
quenquam, quia per Romanos poteſtas eis adem-
pta erat plectendi morte reos, maxime ſupplicio
crucis. Quod tamen ſupplicium ei inferre avebãt;
tum quia valde atrox erat & diuturnum: tum quia
ſumme ignominioſum, dum omnium ludibrio ex-
ponitur pendens; tum quia etiam ſcriptum erat:
*Deut. 21.* *Maledictus qui pendet in ligno.* Sic ſuam rabiem
nonniſi hoc ſupplicio ſatiaturi videbantur; niſi ſci-
licet is cui acclamatum erat: *Benedictus qui venit in*
*nomine Domini, Oſanna in excelſis,* maledictus pro-
nunciaretur in excelſo ligno elevatus, & ſannis pu
blice exciperetur, ac ludibrio haberetur ab omni-
bus. Vtrumque autem junctim dici poteſt, & quod
propter feſtum Paſchæ & azymorum dixerint ſibi
non licere interficere, & propter ademptam eis à
Romanis in reos poteſtatem infligendæ mortis,
maxime per ſupplicium crucis. Utrumque etenim
coniungit S. Chryſoſt. hom. 82 nempe & propter
tempus, & propter genus mortis eos dicere, ſibi nõ
licere interficere quenquam. Vnde additur: *Vt ſer*
*mo Ieſu impleretur, quem dixit ſignificans qua morte*
*eſſet moriturus,* id eſt, quo genere mortis. Sæpe e-
nim dixerat Dominus ſe crucifigendum, & levan-
dum inſtar ſerpentis in deſerto. Hæc autem pœna
non poterat infligi à Iudæis, ſed à Gentilibus; atq;
ideo Pilato præſidi Gentili tradendus erat, ſi erat
implenda prædictio.

*3. Crimi-* Itaque videntes Iudæi ſine accuſatione ſe hic ni
*na Chri-* hil poſſe proficere, dixerunt: *Hunc invenimus ſub-*
*ſto impo-* *vertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa*
*ſita.* *dari Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe.* Tria
ei imponunt falſiſſime, arguentes eum ut tranſgreſ-
ſorem legis divinæ, naturalis, humanæ. Primo, *1.*
quod averteret populũ ab obſervantia legis à Deo
per Moyſen datæ. Quod falſum erat, ipſo prædicã-
te ſe non veniſſe ſolvere legem, ſed adimplere,
quam etiam uſque ad mortem ſervavit. Secundo, *2.*
quod prohiberet tributum, atque erat id contra le
gem naturæ, quæ docet deberi Regibus tributa ad
ſuſtentationem vitæ & ſtatus. Et hoc falſum erat,
quia ſolverat didrachma pro ſe & Petro & dixerat
*Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Tertio, quod ſibi *Matt. 17.*
regnum Iudæorum uſurparet & regium titulum *Matt. 22.*
contra decretum Imperatoris, qui à Iudæis abſtu- *3.*
lerat dignitatem regiam, dividens Iudæam in *Luc 3.*
quatuor tetrarchias. Et hoc quoque falſiſſimum,
quia fugerat, cum vellent eum facere Re- *Ioan. 6.*
gem.

Pilato autem Gentili de legis Moſaicæ obſer- *De regia*
vantia parum erat curæ. De tributo poterat inau- *dignitate*
diſſe eius reſponſum. De regia autem dignitate, *Pilatus*
imperio Cæſaris & Romano non parum adverſã- *Chriſtũ*
te, examinat & interrogat eum in Prætorio à tur- *exami-*
bis ſemotum: *Tu es Rex Iudeorum?* Atque etiam ex *nat.*
hac interrogatione reliqua duo dependebant, pro
hibitio ſcilicet tributi Cæſaris, & gentis ſubverſio.
Si enim Rex erat, ſibi tributa uſurpare debebat, &
populi obedientiam ad ſe convertere, & à Cæſare
avertere; quia hæc nonniſi de regno temporali Pi-
latus intelligebat. Adverte vero, quod Pilatus non
interrogat ſolum, an ſe Regem dixiſſet, quia hoc
parum erat, & nonniſi jactantiæ adſcribendum: ſed
interrogat, an vere ita eſſet: quia Cæſaris imperio
id non parum obeſſet. Ad id autem interrogandũ
non levi ratione inducitur, quia Hieroſolymis exi
ſtens audiverat mira opera Chriſti, reſuſcitatio-
nem noviſſimam Lazari, ingreſſum honorificum
in urbem, acclamationem populi, quæ ſuſpicio-
nem poterant inducere regni. Licet ergo non accu
ſarent eum Iudæi, niſi de eo quod diceret ſe Chri-
ſtum Regem, interrogat tamen an vere Rex Iu-
dæorum foret? Quaſi diceret: Non mihi ſatis eſt, ſi
neges te dixiſſe amplius quæro, an ſis Rex: Ex divi
na autem providentia interrogatio hæc facta eſt,
quia Chriſtus verus Rex erat, & ea de cauſa etiam
invitis Iudæis appoſitus eſt ei titulus, *Rex Iudæo-*
*rum;* quamvis non intelligeret Pilatus, quale eius
foret regnum. Vt ergo ſui regni daret aliquam ex-
plicationem, reſpondit Ieſus: *A temetipſo hoc dicis,*
*an alii tibi dixerunt de me?* Quaſi dicat: An ex temet
ipſo, quaſi opinionem habens quod ſim Rex Iu-
dæorum, an ex aliorum ſuggeſtione id me interro
gas? Cui Pilatus. *Numquid ego Iudæus ſum?* Quaſi
dicat: Ex me non concepi hanc opinionem, quia
nõ ſum Iudæus, ut ex veſtris libris inveſtigare poſ
ſim quis eſt qualis debeat eſſe Rex Iudæorum, ſed
Pontifices tui tradiderunt te mihi, deſuper te accu
ſantes: *Quid ergo feciſti,* ut in te omnes ſic inſur-
gant, & in crucem agere velint, ſi non es Rex, de
quo accuſaris; Volens itaque Chriſtus falſam opi-
nionem de affectato regno à ſe amovere, & regni
ſui

qualitatem declarare, haud repugnantem regno & imperio Romanorum, reſpondit.

*Regnum meum non eſt de hoc mundo, ſi eſſet ex hoc mundo, miniſtri mei decertarent, ut non traderer Iudæis.* Quaſi dicat. Regnum meum non eſt terrenũ, aut mundanum, conſiſtens in multitudine ſatellitum aut miniſtrorum, in ſplendore externo, aut in pompa & magnificentia, ſicut regnum aliorum Regum: immo non eſt tale quod Regum aut Principum quempiam à ſua poteſtate aut dominio expellat, ut Cæſaris potentiã uſurpare aut imminuere, jure poſſim accuſari. Sed eſt regnum ſpirituale, cœleſte & æternum, per quod in animis & cordibus hominum dominor, ipſiſque Regibus leges ſpirituales & jura fero. Terrenum regnum gladio materiali adminiſtratur; non opus habet hoc gladio regnum meũ, quia gladius ejus ſpiritualis eſt. Regnum terrenum habet civitates, arces, oppida, exercitus, arma, quibus ſe tueatur. Si de hoc mundo eſſet regnum meum, hæc omnia mihi ad manum forent, ne jam in poteſtatem venirem Iudæorum; nunc ergo ex eo cognoſce, quod regnum meum non ſic hinc.

*Chriſti regnum non eſt de hoc mundo.* Vere, Domine Iesu, *Regnum tuum non eſt de hoc mundo*, quandoquidem naſci pauper volueris in ſtabulo, & cum Matre tua aſcendere in Bethleem ad profitendum ſubjectionem, & ad ſolvendum cenſum Cæſari.

1. *Regnum tuum non eſt de hoc mundo*, quandoqui-
2. dem famem, ſitim, frigus, & omnia in illo adverſa pateris, omnibuſque te ſubjicis miſeriis & incommodis.

3. *Regnum tuum non eſt de hoc mundo*, quandoquidem aperte tuis dicis: *Preſſuram in mundo habebitis. Mundus gaudebit, vos vero contriſtabimini. Nolite mirari, ſi odit vos mundus, quia priorem me vobis odio habuit.* Et rurſus: *Confidite, ego vici mundum.*

4. *Regnum tuum non eſt de hoc mundo*, quandoquidem in illo nonniſi ſpineam Coronam pro Diademate, & Arundineum baculum pro Sceptro geris, ut illudaris.

*Regnum tuum, non eſt de hoc mundo*, quia omnis celſitudo regia huius mundi nonniſi ventus eſt, & gloria fumus, & magnificentia vanitas: tu autem Rex es verus, Rex veritatis, Rex natus ut teſtimonium perhibeas veritati & æternitati.

Quia ergo *Regnum tuum non eſt de hoc mundo*, ideo qui vere tui ſunt, qui vere Chriſtiani, opes, voluptates, gloriam hujus mundi nõ quærunt; ſed ad regnum tuum cœleſte adſpirant, & regnum internum gratiæ tuæ, dũ ſunt in hoc ſæculo, fovere ſtudent, quod eſt, *gaudium & pax in Spiritu Sancto.* *Bern. ſuper Miſſus.* Ideo cum Sãcto Bernardo exclamant: *Veni Domine Ieſu, aufer ſcandala de regno tuo, quod eſt anima mea, ut ſolus regnes in ea. Venit avaritia, ut vendicet ſibi in me ſedem. Iactantia & ſuperbia cupit dominari. Luxuria dicit, Ego regnabo. Ambitio, invidia, iracundia, certant in meipſo de meipſo, cuius potiſſimum eſſe videar. Ego quantum valeo, reſiſto, Ieſum reclamo, & dico: Dominus meus & Deus meus; non habeo Regem niſi Dominum Ieſum. Veni ergo, & diſperge illos in virtute tua, & regnabis.* Hæc Bernar.

Itaque fatetur Chriſtus Dominus ſe Regem eſſe, & quidem talem Regem, qui *ad hoc natus ſit, ut teſtimonium perhibeat veritati, ita ut quiſquis ex veritate eſt, eius vocem audeat.* *Ioan. 18.* Ad hoc nempe in mũdum venit, ut palam & libere veritatem prædicet, & hanc veritatem maxime, ſe Chriſtum Regem eſſe, & regnum ſuum non eſſe caducum, ſed perenne: nec ex hoc mundo, ſed è cœlo. *In hoc natus ſum, ut teſtimonium perhibeam veritati,* inquit ipſe. Teſtimonium perhibuit prædicando & docendo, doctrinamque ſuam operibus & miraculis cõfirmãdo. Propter veritatem quam docuit, morti traditur, quia & eam ſanguine ſuo confirmandam iudicavit. *Chriſtus & eius aſſeclæ veritati teſtimoniũ perhibent.* Propter eandem eius aſſeclæ & milites occubuerunt, & ſuo etiam cruore eandem ſignarunt, ut & regni eius fierent cõſortes. Patet in Apoſtolis & Martyribus, doctrinæ eiuſdem & veritatis aſſertoribus. Ideo vero ſe dicit veniſſe ut veritati teſtimonium perhibeat, quia illa vel evanuerat, vel calumniã patiebatur ab incredulis. *Diminutæ erant veritates à filiis hominum*, *Pſal. 11.* & loco veritatis, vanitas, falſitas, mendacium ſupponebatur & ſubornabatur à mundo, ſicut à Michol idolũ pro Davide. Et ſicut poma Sodomitica exterius colorẽ quendam induunt oculis gratum, intus autem cinis ſolum ineſt, qui tactus fœtorem inhalat; ita mundus licet foris ſpecioſus appareat, intus tamen non veritatem ſolidam, ſed fœtidam continet vanitatem. Propterea Chriſtus è cœlo veritatem, quaſi exulem, in mundum reduxerat, & illi teſtimonium perhibebat, ut eã recognoſcerent filii hominum, quam è terris quodammodo fugaſſe videbantur: Ideoque addit: *Omnis qui eſt ex veritate, vocem meam audit.* Hoc eſt, omnis qui eſt ex Deo, quemque Deus elegit, qui eſt prima veritas, audit lubenter & credit quæ ego dico, quia ſectator eſt & amator veritatis, cui ego teſtimonium perhibeo, ad hoc ſpecialiter miſſus, ut eam omnibus annunciẽ. Sed multi vel odiunt vel faſtidiunt veritatẽ, quia mendacio & Patri mendacii adhærent mordicus, *Ioan. 8.* nec ab eo avelli ſe ſinunt, & eam ob cauſam me etiam odio habent. His auditis dicit Pilatus: Quid est veritas.

VOx iſta nõ ſerio inquirentis eſt, ſed obiter & leniter interrogantis, ſicut ſolent Magnates de re, quæ eis parum cordi eſt, & quam parvi faciunt, quaſi nõ ad ſuam pertineret notitiam. Exiſtimabat ergo Chriſtum velle agere Philoſophum, diſſerendo ſublimiter de veritate, iuſtitia, fortitudine, regno, & ſimilibus. Hæc faſtidiebat & aſpernabatur, & ad Academias releganda ducebat; interim ne ſuam proderet ignorantiam, interrogat tranſeunter: *Quid eſt veritas?* id eſt, quæ eſt iſta veritas, quam veniſti teſtificari in mundum? Quid

vocas veritatem? Et ut oſtenderet ſe non interrogare diſcendi gratia, reſponſum non exſpectat, nec merebatur illud audire. Certe magna & ſummi momenti erat interrogatio, ſi eo affectu, & devotione, ac reverentia facta fuiſſet, qua verbum Dei exquirendum eſt, & ſuſcipiendum, ac audiendum. Audiſſet utique Pilatus, ſi ea fuiſſet animi præparatione, ex ore Sapientiæ, quid eſſet veritas, & intellexiſſet, quantum ipſa eum concerneret. Sed nec ipſe erat ex veritate, ideo vocem veritatis non expectavit, & eā audire indignus fuit. Audi S. Auguſt. *Quoniam iudicium à veritate inchoavit, ſed in veritate non manſit, quinimo in perverſitate finivit: ideo de veritate quæſtionem facere potuit, ſed finale reſponſum audire non meruit.*

Moraliter hic poteſt doceri, multos eſſe nō abſimiles Pilato, qui ne quidem audire volunt veritatem, ſe ſtatumque ſuum concernentem; ſed exeunt foras, aut non comparent, dum veritas eis à verbi divini præconibus nuncianda foret. Diſcurramus per varios hominum ſtatus, & eis annunciemus veritatem cum brevitate ſermonis, ne eis tædium injiciamus.

*Veritas annunciatur. 1. Iudicibus.* 1. Vos, ô Iudices populi, ſi vultis ſcire veritatem nolite cum Pilato recedere, & hæc annunciabitur vobis. Hæc eſt veritas vos concernens: Cauſæ viduarum, pupillorum, pauperū non ſunt vobis curæ aut cordi, ſinitis hos opprimi, aut languere annorum vel mēſium ſpatio protracto ante decretū, donec expenſis exhauriantur; ſic coguntur vel litem deſerere, vel gravi ſuo diſpēdio componere. Favetis magnis & opulentis, *diligitis munera, ſequimini retributiones.* Propter hæc male adminiſtratis plerumque juſtitiam, iniuſta fertis decreta; parvos fures ſuſpenditis, magnos permittitis vivere in perniciem publicam. *Iſaiæ i.* *Vinum veſtrum mixtum eſt aqua, & argentum veſtrum verſum eſt in ſcoriam.* Habet juſtitia veſtra fæces & ſpumam, fraudes & avaritiam: ipſa quoque mixta eſt quandoque crudelitate & ultione, & malitioſa juris interpretatione; vel mixta eſt humano reſpectu, & iniquo favore. Ecce veritas.

*2. Advocatis Procuratoribus, &c.* 2. Vos, O Advocati, Procuratores, Notarii, Scribæ, Greffiarii, addo & litigantes, vultis audire veritatem? Atramento veſtro ſæpe turbatis æquitatem, & atram facitis juſtitiam, quæ ex ſe candida eſt. Prava conſilia ſuggeritis, falſa inſtrumenta producitis, cauſas iniuſtas defenditis. Abſconditis ſcripturas, in audiendis teſtibus, ut dici ſolet, adiuvatis litteram, interpretationes fraudulentas adinvenitis. Salaria ultra iuſtum laborem extorquetis. Parum vobis curæ eſt, modò laute vivatis, an pauperum id fiat iniquis expenſis. Non ſolum lac, ſed & ſanguinem exſugitis: ideo cauſas, quas brevi poteratis finire, prolongatis, terminoſq; ſuper terminos à Iudicibus expoſcitis, & extorquetis. A ſententia deniq; iuſta appellatis, ut expenſas adiiciatis. Vos quoque, O litigantes, iuſtitiam veſtræ cauſæ parum curatis, ſi modo collitigantem ſuperetis & ſupplantetis. Male informatis Iudices, ſubornatis teſtes, inſtruitis eos ut nō aperiant niſi quod vobis proficuū eſt; corrumpitis muneribus, ut quoquo modo litem evincatis. Iuramenta quoque, neſcio quæ, audetis facere fraudulenta, & ſic natantes in gurgite vaſto litium & proceſſuum, ſubmergitis vos ipſos tandem ex integro; hoc eſt animam, conſcientiam, bona temporalia & ſpiritualia, ac ſalutem perditis. Hæc eſt veritas, appendite & attendite eam, quicunque coram Tribunalibus agitis contentioſe.

*3. Mercatoribus & negociatoribus.* 3. Vos quoque, O Mercatores & Negociatores, audite veritatem, & cum Pilato ne retrocedite, quaſi aliis audiendis occupati. Hæc eſt antiqua veritas: *Care vendere quiſquis veſtrum cupit, & vili emere.* Sed utinā nō infra iuſtum ematis pretium, & ſupra juſtum vendatis. Hoc vobis parū eſſe videtur, quia unuſquiſq; lucrari poteſt, ut dicitis, ſive emendo, ſive vendendo, quantum poteſt, nec id tamen æquitati & legi, vel naturali, vel humanæ, vel divinæ conſonum eſt. Hoc vero peius, quod in mēſura, pondere, numero decipitis, quod adulterinam mercem bonæ immiſcetis; ſive granum, ſive vinum, ſive quippiam aliud fuerit, & æquali pretio venditis atque purum. Immo ſi pondere merces æſtimatur, fraudulenter immiſcetis quæ pondus adaugeant. Quid, quod in ſcribendo, computando, notando, errores voluntarie cōmittitis, aut commiſſos advertendo nō reſtituitis, & invicem fraudatis? Vos quoq; in lucrum miro artificio damnum non emergēns computatis, & lucrum nō ceſſans lucro deputatis. O quot apud vos uſuræ ſpecies, parum probandæ! Sed & hoc malorum non extremum, quod mercedē operariis defraudatis, & debita nō ſolvitis. Satis ſuperque vobis domi eſt ad inſumendū in vanitatibus & ſumptibus ſuperfluis; dū creditores vero urgent, inopiam alligatis & inſufficientiā. Quod ſi operarios & opifices varios conducitis, pecuniâ promptâ haud eis ſatisfacere vultis: ſed mercimonia apud vos opportuna quolibet pretio accipere cogitis, licet de pecunia certa conductum ſit. Hæc eſt veritas, appendite & attendite eam, quicunque mercimoniis & negociationi vacatis.

*4. Operariis inferioribus.* 4. Vos quoque operarii inferiores ſub heris agentes audite veritatem, veſtrum munus concernentem. Etſi tenuioris fortunæ ſitis, non tamen fideliter opus & negocium vobis commiſſum peragitis, ſic & tenuioris fidei vos arguunt Domini & Heri, vos ad opera conducentes. Habetis fraudes veſtras aliis damnoſas, vobis parum proficuas; diurnum laborem non impenditis, diurnum licet denariū in ſolutionem, expetatis. Conſcientia veſtra pernovit, vos longe fœlicius & fidelius Heri conducentis lucrum poſſe promovere, ſed negligitis, vel fraudatis. Quantū vero ad lucrum vobis obtingens, uno die quandoq; in tabernis & poculis expenditis, quod tota hebdomada lucrati eſtis; ſicque familiam inopem deſolatamque relinquitis.

tis. Et, quod malorũm maximum eſt, ebrii diſſipatà re familiari redeuntes, totam domum evertitis. Hæc eſt veritas vos concernens, quam rogo ut attendatis & expendatis in ſiclo ſanctuarii & veritate Dei.

*5. Adoleſtentibus & iuvenibus.*

5. Vos quoque ; ô Adoleſcentes & Iuvenes, vultis ſcire veritatem? Nolite cum Pilato recedere & annunciabitur vobis. Vos moribus diſſoluti eſtis prætextu libertatis, quaſi eam depoſcat ætas veſtra. Sed pernicioſa libertate laxatis frænũ libidini, laſcivi in verbis, impudici in attactibus, ſicut equus & mulus ſine chamo & fræno in dedecora proſilientes. Nocturnas debacchationes adamatis, caſtitati virginum inſidias ſtruitis. Luſus chartarum & tabernas frequentatis, cum poculis rixas miſcetis, paterna bona prodigitis, ad juramenta faciles eſtis, parentibus rebelles, illis crux eſtis, toti vanitatibus immerſi, ſine timore Dei aut hominũ quidlibet audetis. Vos quoque, ô puellæ, nocturnos diſcurſus adamatis, choreas quæritis & frequentatis, & nocturna colloquia cum juvenibus pernicioſa haud fugitis, caſtitatem veſtrã periculo ſæpè exponitis; ſi caſtæ & integræ eſtis corpore, ſed non mente aut corde? lubricas enim fovetis cogitationes, oſcula & blandientes illecebras non vitatis. Vanitati & ſuperbiæ deditæ, vultis ſpecioſæ videri, pompoſè indui, à juvenibus adamari & deliniri. Hæc eſt veritas, quam ſæpè inſtar ſpeculi veſtro debetis obiicere aſpectui, ne vos perdat vanitas.

*6. Coniugatis.*

6. Vos quoque, ô conjugio adſtricti, audite veritatem. Promiſſam mutuò fidelitatem non ſervatis, familiam levi ex cauſa perturbatis, concordiã non fovetis, evertitis domeſticos, quaſi leo, per impatientiam, indecora & inhoneſta quandoque in coniugio admittitis. Proles non inſtruitis, pravis moribus corrumpi ſinitis, earum ſalutem ac veſtram negligitis, perverſo eis exẽplo vitiis veſtris exiſtitis. Debita non perſolvitis, fraudibus dediti eſtis prætextu alendæ familiæ; & negotiis huius ſæculi immerſi, parvifacitis quæ Dei ſunt & cœli. Hæc eſt veritas vos concernens; hanc appendite, ut emendetis.

*7. Sacerdotibus.*

7. Vos denique, ô Sacerdotes, nolite recedere cum Pilato, ſed audite veritatem vos concernentem, qui veritatis miniſtri eſſe debetis. Vos negligentes eſtis in officio divino, in viſitatione infirmorum, in cura pauperum, in correptione peccãtium. Non eam puritatem fovetis quæ neceſſaria eſt quotidianis Sacrificiis: magis ex conſuetudine frigida & arida acceditis, quam ex pietate ſincera. Non fovetis zelum animarum miniſterio veſtro neceſſarium, contubernia potentium, colloquia mulierum non ſatis vitatis. Ita fit, ut ordini veſtro labem inſpergatis, dum vagi & otioſi per plateas vel popinas diſcurritis. Hæc eſt veritas vos concernens.

## LECTIO VIII.

### *Cur remiſerit Pilatus ad Herodem?*

AD Pilatum redeamus: exivit ipſe ad Iudæos, & ait eis: *Ego nullam in eo invenio cauſam.* Rectè ais ô Pilate, quia & ipſe pridie quam pateretur inter cætera ſuis dixit diſcipulis : *Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Rectè ais: *Non invenio in eo cauſam*, quia in innocentia nullum crimen, in ipſa ſanctitate nulla labes, in ipſa vita nulla mortis cauſa. Sed in me require, quia ego peccavi, ego nocens ſum, in me ſuperbia concupiſcentia, ingratitudo, cordis rebellio, plurimæ aliæ mortis cauſæ: *Ioan. 14.*

*Me me adſum qui feci, in me convertite ferrum:*
*Culpa mea eſt, mea fraus omnis, nihil iſte nec auſus*
*Nec potuit; cœlum hoc & conſcia ſydera teſtor.*

Nullum ergo in eo invenis cauſam ô Pilate, niſi charitatem, per quam in ſe tranſtulit expianda totius orbis crimina. Hæc unica illi mortis cauſa.

Interim invaleſcebant, & proficiebant clamore qui deficiebant ratione. Solent enim quos deſtituit veritas ad clamores confugere, & multa confusè conglomerare; ut multitudine verborum & vociferatione animum audientis poſſint movere, & ad ſe inclinare. Quapropter dicit Marcus, quod cũ accuſarent in multis Infirmitatẽ & iniquitatem ſuæ cauſæ ſatis iudicãt multiplici clamore, nõ conſtanter accuſando in aliquo, ſed confusè & ſine ordine in multis, magis cõfidentes verborum multitudini, quam probatæ veritati. Teſtimonium eius innocentiæ perhibente Pilato, timent ne elabatur & abſolvatur, magisque irritantur, quàm placantur: inſtar canum allatrantium, ferali rabie exaſperatorum, nullo volunt ſedari remedio. Silet verò Chriſtus ad has omnes accuſationes & vociferationes, exemplum nobis præbens ſilentii & patientiæ, dum reſponſo non ſperamus proficere. Poterat ipſos confundere, ſicut & accuſatores adulteræ dum ipſo ſcribente in terra digito ſuo omnes in fugam verſi ſunt; ſed mortem lubens ſubibat ; & innocentiâ ſua ſatis iam per judicem detectâ, non neceſſe habet loqui. Quare adverte, quòd decurſu Paſſionis ſuæ modò ſilet Chriſtus, modò loquitur. Quandoque loquitur, ne videatur non habere quo ſe defendat & ne judices aut accuſatores ignorantiam ſceleri ſuo prætexere poſſint. Quandoque tacet, ne videatur mortis quærere effugium. Audi S. Ambroſ. c. 23. in Luc. *Accuſatur Dominus & tacet & bene tacet, qui defenſione non indiget. Ambiant defendi, qui timent vinci Non ergo accuſationẽ iacendo confirmat, ſed deſpicit non refellendo. Quid timeat cum non ambigat ſalutem? Salus omnium ſuã prodit, ut acquireret omnium. Sed quid de Deo loquar Suſanna tacuit, & vicit. Melior enim cauſa, quæ nõ defenditur, & probatur.* Hæc S. Ambroſ. eleganter.

*Chriſtus ad accuſationes ſuas ſilẽs nobis eſt exemplo. Ioan. 8.*

[Matt 27] [Pilatus Chriſti ſilentium admiratur.] *Admiratus eſt autem Pilatus vehementer eius ſilentium inquit Matthæus.* Admirabatur ſcil. manſuetudinem contra accuſatores, conſtantiam, mortis contemptũ; quòd homo innocens, prudens, ac diſertus, qui ſuos poterat confundere accuſatores, jam in periculo conſtitutus ſileret, cùm inanes calumnias refellere poſſet, & ſe periculo eximere, ipſo judice libertatem loquendi dante, & benevolum ſe exhibente. *Sed hoc eius ſilentium*, inquit S. [Athanaſ. de paſſ. & cruce.] *Athanaſius, etiam Iudici Ethnico perſuaſit falſa eſſe, quæ factioſi Iudæorum Principes contra eum proferebant. Quocirca varia meditatus eſt media ad eum liberandum, movitque ad id omnem lapidem.*

Quod cum adverterent Iudæi, validioribus vo- [Luc. 23.] cibus, teſte S. Lucâ inclamarunt: *Commovit populum docens per univerſam Iudæam, incipiens à Galilæa uſque huc.* Hæc verba examinans Venerabilis Beda ſic ait: *Hic accuſantium ſermo magis eum qui accuſatur innexium & eos qui accuſant docet eſſe perverſos. Docuiſſe enim populum, & à priſtini temporis ignaviam docendo commoviſſe, & à Galilæa uſque ad Iudæam, hoc eſt à fine uſque ad finem terram promiſſionis pertranſiſſe, non criminis, ſed iudicium eſt poteſtatis & virtutis.* An crimen eſt, docere populum? An crimen eſt, depulſis tenebris, veritatis lumen invexiſſe? An crimen eſt, vitia corripuiſſe ex errore vel ignorantia ortum ducentia? immò crimen eſt, nõ docere, caliginem non diſpellere, corruptos mores veritatis cataplaſmate nõ ſanare. Felix ergo cõmotio, quàm ut reus feciſſe accuſatur, qui eam fecit ut Deus, & Dei Filius. Felix commotio, commoviſſe populum docendo & arguendo, ut ad meliora proficeret, ab ignorãtia ad ſcientiam, ab improba vita ad ſanctam, à vitiis ad virtutem. Felix commotio, à retibus & navicula Andream & Petrum cum cæteris vocaſſe ad Apoſtolatum, Matthæum à telonio removiſſe, & promoviſſe in ſtatum ſacratiſſimum. Nicodemum inſtruxiſſe & introduxiſſe in generationẽ novam, Magdalenam à vitiis carnis avocaſſe & commoviſſe ad lachrymas, ut pedibus ſuas pararet balneum, Zachæũ Publicanorum Principem adduxiſſe ut redderet quadruplum. Denique felix commotio, millena corda commoviſſe ad pœnitentiam, & à corruptis moribus ad meliorem vitam. Hoc profectò intendebat, & toto contendebat zelo & corde incipiens docere à Galilæa uſque in Iudæam; nec hoc niſi cæcis & obduratis potuit diſplicere, aut in accuſationem ſervire.

Interim nonniſi doloſè & malitioſè, ejus æmuli [Hoc factũ in Domini Nativ. dum deſcriptio fieret ſub Cyrino.] hanc proferunt accuſationem: *Commovit populum, incipiens à Galilæa.* Ideo enim Galilææ mẽtionem faciunt, ut ſeditionis eũ inſimulent, & majorem ei invidiam conflent. Etenim ſeditioſi fuerant aliqui ex Galilæis; & non ita pridem Iudas quidam Galilæus, in publicũ proceſſerat ſeditionem excitans, ſub prætextu quod populus Dei Cæſari non deberet ſubeſſe, aut ei tributum aliquod pendere; eumq; Dominum agnoſcere. Hæc opinio ita Galilæis inhæſerat, ut de Galilæorum pertinacia ſcribat Ioſephus l. 7. belli cap. 29. *Omnis genere tormentorum & vexatione corporum in eos excogitata, ut Cæſarem Dominum faterentur, nemo ceſſit: ſed omnes in ſententia permanſerunt, quaſi bruti, corporibus, non animis etiam cruciatus ignemque ſuſciperent. Maxime verò puerorum ætas miraculo ſpectantium fuit: nec enim eorum quiſquam commotus eſt, ut Dominum Cæſarem nominaret: uſque adeo corporum infirmitatem vis audaciæ ſuperabat.* Ita Ioſephus Pilatus quoque quorumdam Galilæorum rebellium eamdem ob cauſam ſanguinem miſcuiſſe cum ſacrificiis eorum legitur. [Luc, 13.] Itaque dum Chriſtum cõmoviſſe populum, incipiendo à Galilæa, Iudæi accuſant, idem eſt ac ſi dicerent Pilato: Attende ô Romane Præſes quantum negotii fecerit Romanis Iudas Galilæus, & alii Galilæi, quorum ſanguinẽ miſcuiſti cum ſacrificiis, eorum te ſatians nece. Hunc de illis eſſe exiſtima, & ideo ſubitò è vita ſcias tollendum ne ſeditio eius invaleſcat, quæ iã uſque in Iudæam & Iudææ metropolim Hieroſolymam pervenit. Vide, ne *ſpinæ creſcant in Rhamnum*, ſuccide ab ortu radicem. [Pſal. 57.]

*Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit ſi homo Galilæus eſſet; & ut cognovit quod de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Hierſolymis erat illis diebus*, ob ſolemnitatem Paſchalem, quia & ipſe Iudæus erat Nativitate & Circumciſione. Dominus non erat Galilæus, quia natus erat in Bethleem Iuda; ſed tamen talis habebatur, quia ibi conceptus, educatus, converſatuſque fuerat ut plurimum: & ibi diſcipulos ſuos elegerat ita ut in Aſcenſione dixerint Angeli: *Viri Galilæi quid aſpicitis in Cœlum?* [Vide dicta in hor. Paſtor. lect. 1] Hinc & Chriſtiani omnes *Galilæi* dicti ſunt initio Eccleſiæ & *Nazareni*, à Ieſu Galilæo de Nazareth. Pilatus itaque putans ſe nactum occaſionem extricandi ſe ab hoc judicio, remiſit Chriſtum ad Herodem Tetrarcham Galilææ, tamquam ad eius ditionem pertinentem, ab ipſo vel abſolvendum, vel condemnandum. Hic Herodes erat qui Ioannem interemerat. Antipas dictus, filius Herodes Aſcalonitæ qui pueros occiderat. Alius adhuc Herodes fuit qui Iacobum occidit gladio, & appoſuit ut apprehenderet & Petrum, mittens eum in carcerem: hic Agrippa vocatus eſt. [Tres Herodes cõmemorat Scriptura.] Hinc tres Herodes agnoſcit Scriptura, de quibus antiquus verſus.

*Aſcalonita necat pueros, Antipa Ioannem,*
*Agrippa Iacobum, claudẽſq; in carcere Petrum.*

Diſſidium autem quoddam natum fuerat inter Pilatum & Herodem, quòd Pilatus ſe ingeſſiſſet negotiis ad Herodem ſpectantibus, & ut multi putant, *quod Galilæorum quorundam ſanguinem miſcuerit cum ſacrificiis eorum.* Cum autem Pilatus detuliſſet hoc judicium Chriſti (tamquam Galilæi) Herodi Tetrarchæ, *facti ſunt in illa die amici*, quia ſignificaverat Pilatus ſe nolle ſibi vendicare Herodis juriſdictionem Cujus rei mentionem facit S. Lucas, quia nec hic deerat myſterium. Significabatur

*Impij diſſidentes, contra iuſtitiam cõcordes.*

batur enim, quòd impii inter ſe diſſidentes, tamen in hoc conveniant, quòd ſimul iuſtitiæ & veritatis ſint inſectatores; adimpletumque hic fuit illud *Principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum eius*, ut interpretantur Apoſtoli Act. 4. Audi Bedam in hunc locum: *Hoc nefandum Pilati & Herodis fœdus quod in occidendo Chriſto pepigerunt, hactenus velut hæreditario iure eorum ſucceſſores cuſtodiunt, quando Gentiles & Iudæi ſicut genere & religione, ſic mente diſſidentes, in Chriſtianis perſequendis conſentiunt.* Sic videmus Lutheranos & Calviniſtas inter ſe valde diſcordes, concordare ad fidem Catholicam perimendam, & in perſecutione piorum eſſe conformes. Putat S. Ambroſius in Herode & Pilato deſignatam concordiam populi Gentilis, & Iudæi per Paſſionem Domini futuram.

*Ambroſ. in Luc. l. 10. c. 23.*

Sed videamus quæ apud Herodem geſta ſunt. *Ex multo tempore cupiebat videre Ieſum, quia multa audiverat de eo, & ſperabat ſignum aliquod videre.* (O utinam optaſſet videre Ieſum, ſicut Zachæus, Sycumorum aſcendens, figuram Crucis iam præſignantem in myſterio:) *Ideo gaviſus eſt, & interrogabat eum multis ſermonibus.* At ipſe nihil reſpõdebat. Quia *eius crudelitas non merebatur videre divina, & Dominus iactantiam declinabat*, inquit S. Ambroſius *Vocem eius clamantem in deſerto* peremerat, Ioannem ſcilic. & ideo hic *Verbum* ſeſe exhibet ſine voce. Tum quia *non erat reſpondendum ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam*, eò quòd nonniſi ex vanitate & curioſitate erat interrogatio, nec ordinabatur ad fidem, aut ſalutem. Tum denique, quia Dominus noluit videri adulator, conſentiens vanæ voluntati Herodis, ſicut fieri ſolet in aula à multis. Volebat à Chriſto tamquã præſtigiatore ſignũ aliquod & ſpectaculum ſibi exhiberi, quo ſe oblectaret: indignus ergo reſponſo fuit, quamvis multa interrogaret. Forte, an ipſe eſſet propter quem Pater eius tot pueros enacarat? an ipſe foret Ioannes redivivus, quem paulò ante decollari iuſſerat? An ipſe eſſet Prophetarum quiſpiã: An in Cana Galileæ ſuæ ditionis oppido, convertiſſet, aquam in vinum! Vnde illi poteſtas tot ſigna de quibus rumor ferebatur edendi? Sibi etiam gratum fore, ſi aliquod coram ſe & aulicis ſuis faceret, indeque ſe eius liberationem procuratorum aſſerebat Sed cum hac via ſe poſſet liberare Chriſtus à morte non tamen vel verbum reſpondit. Et hoc erat ſignum quod debebat admirari Herodes, ſcilicet ſilentium altiſſimum hominis innocui, qui ſi os ſuum aperire voluiſſet, ſeſe potuiſſet eruere à morte; tum ſuã probando innocentiam, tum adverſariorum confundendo pervicaciam. Hoc enim ſilentium admiratus propterea fuerat antea Pilatus. O quã multi Magnates Herodi ſimiles, quorum ſtudium eſt nõ diſcere aliquid ad ſalutem, ſed videre aut audire multa ad curioſitatem! Hi etiam quandoq; concione audiunt, ſed ut audiant, non ut animo in ſerant, & proficiant: ex curioſitate volunt explorare ingenium & doctrinam, ſive eloquentiam Concionatoris, cuius fortè fama eos ad audiendum allexit Non alia mente veniunt, quam ſi ad Tragœdum aut Comœdum accederent; ad aures oculoſque oblectandum, non ad animo medendum, & meliora ſectandum. De hac re ſic loquitur B. Petrus Damiani, Apologia de contemptu ſæculi: *Ecce quem vulpes malitioſa deſideraverat ſprevit, illuſit; & quia non vitam provivendi amore quaſivit, in impietatis ſuæ morte remanſit.* Hæc P. Dam. Quod nõ ſolum de Herode, ſed etiam de eius imitatoribus verum eſt.

*Chriſtus Herodi cur nihil reſponderit.*

*Magnates multi Herodi ſimiles.*

*Stabant autem Principes Sacerdotum & Scribæ conſtanter accuſantes Ieſum.* Sed nec eis quippiam reſpondit. Hoc expendens Beda dicit. *Dominus apud Pilatum pauca, apud Herodem nulla reſpondit. Iuſtum erat ut Pilato, qui invitus ferebat ſententiam, aliqua in parte reſponderet: Herodem verò & Iudæorum Optimates, qui contra legis ſuæ decreta innoxium condemnabant, indignos ſuo ſermone duceret. Vbi ergo tacebat, quaſi agnus pro toto grege immolandus patientiam præſtabat. Vbi reſpondebat, quaſi Paſtor bonus pro creditus ſibi ovibus contra luporum latronumque inſidias pugnabat.* hæc Venerab. Beda ſapienter.

Videns porrò Herodes ſe nec reſponſum ab eo elicere, ſemifatuum reputans, *ſprevit eum cum exercitu ſuo*, hoc eſt, cum ſatellitio numeroſo & armato latera ſua ſtipante, *& illuſit indutum veſte alba, & remiſit ad Pilatum.* Non paucas illuſiones & ſcommata (præter veſtem albam) Chriſtus paſſus eſt ab aulicis & ſatellitibus Herodis, vindicare domini ſui contemptum ſtudentibus, etſi paucis verbis id Evangeliſta complectatur. Sic æterna ſapiẽtia velut fatua contemni volut, & irrideri, ac illudi coram variis tribunalibus & iudicibus. Coram miniſtris Caiphæ patitur varias ignominias & inſultationes dũ ei velant oculos, ut prophetizet quis percuſſerit. Coram Herode naſo ſuſpenditur, & vaniſſimè irridetur, ac veſte candida illuditur. Coram Pilato denudatur, & per purpuream veſtem ludibrio habetur. Interim per has irriſiones ſibi Chriſtus promeruit exaltationẽ ſuper omnes Reges. nobis autem veram promeruit ſapientiam, & veſtem immortalitatis candidam quam promittit Deus. Et quamvis Herodes nonniſi ad illuſionem, ſic eum induerit. quaſi, tacitè inſimulãs eum quod fatuè affectaſſet regnum Iudææ; olim enim Romæ candida erat veſtis ambientium Magiſtratus qui inde *Candidati* dicti ſunt candidati venirent in Campum *Martium*, ubi populi comitia agebantur: attamen divina ſapientia optimè novit hic uti Herodianâ veſania ad teſtandum publicè omnibus Chriſti innocentiam. Nam apud veteres color cãdidus erat innocentiæ & abſolutionis ſymbolum, ſicut & color niger facinoroſi operis & condemnationis erat ſignum Sicut ergo Caiphas cum dixit *Expedit unum hominem mori pro populo*, non dixit hoc quaſi Iudaicæ plebis ſalus ipſi cordi foret, ſed

*Herodes Chriſtũ veſte alba induit*

*A Pilato purpur eã accipit.*

*Apoc. 3.*

ut Iudæorum Principes faciliùs in Chriſti mortem impelleret; tamen prophetaſſe dicitur, quia Spiritus S. illud ipſum eius dictum ad ſublimiorem ſignificationem ordinabat. Sic dicimus, quod licet Herodes non deſtinato hanc veſtem dederit ad innocentiæ teſtimonium, illam tamen velit noli t teſtatus eſt, quia hæc veſtis perpetuum erit orbi monumentũ innocentiæ Chriſti, immò & regiæ dignitatis Quia alba veſte indui olim Regũm erat & Principum, ſicut & purpureâ Audi S. Ambroſium: *Non otioſum erat quod veſte alba induitur ab Herode, immaculata tribuens indicia paſſionis, quod agnus Dei ſine macula cum gloria peccata mundi ſuſciperet.*

*Ambroſ. in Luc. l. 10. c. 13.*

*Summa fatigatione Chriſtus per varias vias tractus.*

Hic piè conſiderandum, quanta fatigatione Dominus noſter per varia tractus fuit itinera duris ligatus vinculis; idque cum variis clamoribus, opprobriis, deriſionibus, blaſphemiis, percuſſionibus, & fortè ſtercorum & ſordium in eum projectionibus, prout inſania & inſolentia ſolet popularium furentium. Tota die & nocte hinc inde impellitur, nullaque ei requies cõceditur; dum nocte ab horto ad Annam, ab Anna ad Caiphã perducitur, & ibi inter miniſtros impios uſque ad matutinam lucem divexatur atrociſſimè. Manè autem rurſus trahitur ad Concilium Iudæorum, poſtea de Concilio ad Pilatum, deinde ad Herodem, denique remittitur ad Pilatum. Si olim fatigatur circa meridiem *ſedebat ſic ſuper fontem*, ut exprimit S. Ioannes: Quantò magis nunc laſſatus eſt, poſt exhauſtum toto corpore ſanguinem per ſudorem illum nocturnum in horto, & poſt inquietudinem totius noctis per varias exagitationes ferales? Certè non imminuebatur rabies luporum exagitãntium hũc agnum; quin potius augebatur in his itineribus per plateas Ieroſolymitanas, eò quòd eis ad necem eius non conſentirent Pilatus & Herodes, condẽnationis cauſam in eo non invenientes. Vnde hic factus eſt Chriſtus, *Opprobrium hominum, & abjectio plebis.*

*Ioan. 4.*

*Pſ. 21.*

Chriſto ad Pilatum per Herodem remiſſo, convocatis Principibus Sacerdotum, & Magiſtratibus, ac plebe, dixit ad eos: *Obtuliſtis mihi hunc hominem quaſi avertentem populum. Et ecce ego coram vobis interrogans, nullam cauſam invenio. Sed neque Herodes; nam remiſi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum eſt ei: emendatum ergo illum dimittam.* Quaſi dicat: Caſtigabo eum, & flagris afſligam, dummodò eum à morte liberum ſinatis. Dum verò hæc diceret, & nihilominus clamoribus perdurantibus parum proficeret, alium adinvenit modum ad eum liberandum. *Eſt*, inquit, *conſuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Paſcha Quem vultis vobis dimittam, Barabbam, an Ieſum qui dicitur Chriſtus?* Erat autem Barabbas latro, qui propter ſeditionem & homicidium miſſus erat in carcerem, nulli que non erat notus & exoſus ob inſignia flagitia; ideò omnino exiſtimabat Pilatus hunc expetendum ad necem, dimiſſo Chriſto in gratiam ſolemnitatis Paſchalis, in quâ ob memoriam liberationis filiorum Iſrael de Ægypto, liberare ſolitus erat populus aliquem è vinctis, quem poſtulaſſent. Et hæc fuit antiqua cõſuetudo Iudæorum, quam & Romani conſervare voluerunt, ut eos in pace regerent. At illi odio indicibili in Chriſtum ſævientes, Principibus & Senioribus concitantibus turbam, inclamarunt: *Non hunc, ſed Barabbam.* O ingratitudinem & excœcationem? Homo ſceleratiſſimus, infamis, homicida, notiſſimæ homo malitiæ, in comparationem venit, & quaſi in bilancem, cum auctore vitæ & ſpeculo ſanctitatis omnigenæ: interim hic ad crucem expoſcitur, iſte ad libertatem. Sic mortẽ vitæ, tenebras luci, filium Diaboli Filio Dei impiè præferunt excœcati iſti, Quaſi dicerent: *Occidatur ille qui ſuſcitat mortuos, dimittatur latro, ut iterum occidat vivos*, inquit S. Auguſtinus Cui conformiter S. Leo: *Interfectorem hominum eligunt ad veniam, Salvatorem mundi petunt ad pœnam, tanta eſt furoris eorum immanitas?* O qualis commutatio, quale cambium, ut Barabbas cum Ieſu commutetur, aut componatur; Ieſuſque rejiciatur, & Barabbas præferatur: O quam acerbo mœrore in hac comparatione cor Chriſti ſauciatum eſt. Non abſimiliter autem facit peccator, qui Deum ſuum & gratiam eius velut in bilance conſtituens ex una parte, cum fœda voluptate, aut lucro, aut honoris puncto ex altera parte; Deum reiicit & gratiam eius, peccatum autem præfert & eligit deploranda profectò cæcitate.

*Chriſtus Barabbæ poſtponitur.*

*Peccator Chriſtũ poſtponit.*

*Interim* dum de Chriſto liberando agitur, uxor Pilati miſit ad eum dicens: *Nihil tibi & iuſto illi, multa enim paſſa ſum hodie per viſum*, hoc eſt, in ſomniis, *propter eum.* Graviter fuiſſe afflictam & territam, ſatis ex his verbis colligitur: quid autem viderit aut audierit, ab Evangeliſta non exprimitur. Sanctus Ignatius epiſt. ad Polycarpum putat hunc terrorem immiſſum fuiſſe à Dæmone, quaſi iam ſentiente efficaciam Paſſionis Chriſti Sic enim habet: *Cum paranda eſſet crux, Diabolus tumultuabatur, pœnitentiam immiſit proditori, & laqueum ei monſtravit, & ſuſpendium quo ſtrangularetur, edocuit: & mulierculam turbans, ut à crucifigendo ceſſarent, inducere moliebatur, qui priùs omnem lapidem moverat, ut eadem crux pararetur. Non quod pœnitudine duceretur ob tantum malum; hac enim parte minus fuiſſet ſceleratus, ſed ſentiebat ſuam ipſius perniciem.* S. Ignatio cõſentit Beda, & alii, dicentes ex Patrum in limbo lætitia efficaciam Paſſionis Chriſti Diabolum perſenſiſſe. Audies Bernardum, ſerm. de Paſcha: *Inſtigata eſt uxor Pilati ad hac agenda à Diabolo, qui ſicut prius per mulierem mortem intulerat mundo, ita modo ſatagebat Chriſtum de manibus Iudæorum liberare, ne per Chriſti mortem mortis amittat imperium.* Sed volunt plerique Interpretes & multi ex ſanctis Patribus, à Deo & bono Angelo hoc ſomnium uxori Pilati (quã Lucius dexter vocat

*Quid per viſum paſſa ſit uxor Pilati propter Chriſtum.*

Clau-

Claudiam Proculam) immiſſum fuiſſe. Vxori autem potiùs quàm ipſi Pilato immiſſum eſt ſomniũ iſtud, quia ab utroque ſimul ſexu voluit Chriſtus ſuæ innocentiæ habere teſtimonium. Vnde & ipſa quaſi antonomaſticè, vocat Chriſtum Jesum *Nihil tibi & iuſto illi.* Non te immiſceas eius negotio, nec eum condemnes; ſed miſſum eum fac, ſi ſapis. Somniaſſe veriſimiliter exiſtimatur ob illatas Chriſto iniurias iratum Deum plagis atrociſſimis Judæos proſecuturum; immò & ipſum Pilatum, ut reverâ illi poſtea contigit, dum in exilium miſſus eſt Viennam Galliæ, de quo ſic ſcribit Ado Viennenſis Epiſcopus: *Pilatus qui ſententiam damnationis in Chriſtum dixerat, perpetuo exilio Vienna recluditur; tantisque ibi irrogante Caio languoribus coarctatus eſt, ut ſua ſe transverberans manu, multorum malorum compendium mortis celebritate quæſierit.* Hunc Pilatum Gallum fuiſſe & Lugdunenſem natione, tradit Magiſter in hiſtor.

*Ado in Chron.*

*Minæ Iudæorum Pilatum terruerunt.*

Licet porrò Uxor Pilati, vehementer territa & afflicta, conata fuerit perſuadere marito, ne ſe periculo exponeret? Magis tamen eum moverunt minæ Judæorum, quam uxoris ſuæ monita & terriculamenta. Quamvis igitur connisus ſit ad Chriſti libertatem, rurſus eos alloquens, & dicens: *Quid ergo vultis ut faciam de Ieſu, qui dicitur Chriſtus?* Tamen non aliud potuit obtinere reſponſum quàm illud: *Crucifige, crucifige eum.* Et quidem jam tertiò ejus proteſtatur innocentiam, dum dicit: *Quid enim mali fecit? Ego nullam invenio cauſam in eo.* Sed nec per id proficit, invaleſcentibus magis ac magis vocibus eorum, ut crucifigeretur. *Obſtupeſcite cœli, & portæ eius deſolamini vehementer,* ſuper ingratitudine populi huius, & rabie eius furioſa in Agnum manſuetiſſimum, poſt tot teſtimonia innocentiæ eius

*Ierem. 2.*

*Tunc ergo apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellavit. Et milites Præſidis ſuſcipientes Ieſum, duxerunt eum in atrium Prætorii, & congregaverunt ad eum univerſam cohortẽ, & exuentes eum clamydem coccineam circumdederunt, & plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius & arundinem in dextra, & veniebant ad eum & genuflexo illudebant ei: Ave Rex Iudæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius, & dabant ei alapas.* O quam multiplex hic injuria & ignominia Chriſto inflicta! Ipſa ſola nudatio coram tota cohorte, atrociſſima, acerbiſſimaque fuit ignominia auctori & amatori puritatis, qui & Virgines in tormentis denudatas tegi voluit cœleſti lumine, vel miraculoſo alio quopiam modo. Quin & de nonnullis viris ſanctis legimus, eorum corpora poſt mortem ita miraculosè fuiſſe emota, ut verendam tegerent nuditatem, in ſignum amatæ virginitatis & caſtitatis. Sic de S. Philippo Nerio refertur, exanime eius corpus ſupra naturæ vires ſeſe cõmoviſſe, & obtexiſſe inde cotas partes, cùm pro more ablueretur. Idem de S. Lietberto Epiſcopo Cameracenſi, & de S. Geraldo Comite Aureliacenſi habemus. *Sed de nudatione, flagellatione, coronatione, ludicra adoratione, fusè egi in Horto Paſtorali, lect. 17. & 18. tract. 30. illuc remitto Lectorem, ubi multa myſteria in his contenta reperiet.*

## LECTIO IX.

*De Chriſto plebi per Pilatum præſentato, dum dixit:* Ecce Homo.

Exivit iterum Pilatus, & dicit eis: *Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoſcatis quia nullam in eo invenio cauſam. Exivit ergo Ieſus portans ſpineam coronam & purpureum veſtimentum. Et dicit eis:* Ecce Homo.

Eduxit Jeſum Pilatus, in publico velut theatro eum conſtituens in loco ſcilic. ad quem aſcenſus erat per viginti tres gradus è Marmore, qui adhuc modò Romæ in magna habentur veneratione. Putavit hac ratione animos præparare ad cõmiſerationem, in miſeranda forma eum exhibens, conſperſum plagis, lanitatũ flagellis, illuſum omnibus modis. Quapropter eis dicit: *Ecce Homo.* Quaſi dicat: Videte hominem, nõ hominem, quia ſine ſpecie aut figura hominis, ob dilaniationem; videte eius caſtigationem & deiectionem, videte eũ nihil minus eſſe quàm Regem, nec timete, quod regium ambire poſſit ſceptrum & honorem poſt tam multiplicem lanienam & illuſionem. Si ergo homines eſtis, iam eius miſeriæ commiſereri debetis, ac placari. Hic eſt ſenſus litteralis.

*Chriſtus, ut cruentum ſpectaculum oſtẽditur variis.*

Cæterùm, multa piè contemplari hic licet; & lubet hoc ſpectaculum cruentum & lamentabile Chriſti, ſic atrociter dilaniati, Cœlo & Terræ, Angelis & Hominibus, omni denique hominum ſtatui proponere, ad audientium dura corda per pietatem emollienda.

*1. Deo Patri.*

Dicamus ergo primò: Ecce Homo, O Pater Æterne, qui ſe dicit Filium tuum, ab æterno genitũ, tibi coæqualem, omnipotentem, immortalem, & impaſſibilem. Sed eheu! propter nos quàm impotens, quanta patiens, quàm obnoxius morti ac miſeria, omni nunc tibi exhibetur? Certè, profuſus in nos eius amor eum ſic reddidit debilem, paſſibilem, mortalem. Propter noſtrum amorem ſic voluit ab omnibus conculcari, ut iam non appareret eſſe Filius Dei, ſed nec Homo, at potius Vermis deſpicabilis & protritus: *Ego autem ſum Vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abiectio plebis,* ait ipſe. Vide, O Pater! an hæc ſit tunica filii tui, an non? Certè, *Fera peſſima devoravit eum,* non ſanguis hœdi, ſed ſanguis proprius ita conſperſit eum, ut vix agnoſci poſſit. Vide an is ſit de quo bis voce cœleſti intonuiſti: *Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi complacui?* Verè in eo tibi complacuiſti, cuius ſanguinem noſtræ redemptionis pretiũ eſſe voluiſt, cautionemque ac ſatisfactionem pro peccatis noſtris; ideoque eum.

*Pſal. 21.*

*Gen. 37.*

*Matt. 17.*

Rom. 13. Tibi totum cruentum repræſentamus, *ut reſpicias*
*in faciem Chriſti tui*, & ultrà non iraſcaris no-
bis.

2 Angelis Dicamus ſecundò: ECCE HOMO; ô Angeli? Sed
quis homo? Ille de quo ſcriptum eſt: *Quid eſt homo*
Pſal. 8. *quod memor es eius? Minuiſti eum paulò minùs ab*
*Angelis, gloria & honore coronaſti eum, omnia ſub-*
*ieciſti ſub pedibus eius.* Itane paulò minus ab Ange-
lis. Imò verò longè minus ab hominibus. Itane ſub
pedibus eius omnia ſubiecta? Imò ſub omnium ip-
ſe eſt pedibus. Itane gloria coronatus? Imò ludi-
bunda veſte & diademate eſt circumcinctus. Quis
verò memor eſt eius? Imò & illud ei convenit: *Ob-*
Pſal. 30. *livioni datus ſum tamquam mortuus à corde.* Atta-
men. Ecce REX VESTER, ô beati ſpiritus! Ecce ho-
Ioan. 1. mo ille cuius gloriam publicaſtis in Nativitate, ſu-
per cuius aſcendiſtis & deſcendiſtis vertice, cui
miniſtraſtis in ſolitudine, in cuius faciem deſide-
ratis proſpicere tota æternitate. Quod ſi nō agno-
ſcitis ſic deturpatum; ſciatis tamen hunc eſſe de
quo Pater dixit introducens eum in orbem terra-
Heb. 1. rum: *Et adorent eum omnes Angeli eius.* Et ideo rur-
ſum vobis cum Pilato introducimus in hoc thea-
trum, ut adoretis eum, & attoniti inſpectetis, quia
vult: *Spectaculum eſſe Mundo, Angelis, & Homi-*
1. Cor. 4. *nibus, quamvis omnium ſit peripſema uſque ad*
*huc.*

Dicamus tertiò: ECCE HOMO, ô MARIA Virgo,
3. S. Mariæ Virgini & Matri. & Mater beatiſſima omni ſæculo admiranda! Ho-
mo, inquam, quem tuo circumdaſti utero novem
menſium ſpatio, quem lactaſti ubere ſacro, quem
toties ſacris ulnis complexa es, quem adorarunt
Magi in ſinu tuo, quem in ulnas Simeonis ſacratiſ-
ſimum amoris pignus depoſuiſti. Quis crederet
ſpecioſum illū eſſe præ filiis hominū? Vbi decor?
Vbi ſpecioſa cæſaries? Vbi frons illa maieſtate ple-
na? Vbi oculi pellucidi & radiantes, ac benedictio-
ne pleni, penetrantes luce ſuâ uſque in corda filio-
rum hominum? Vbi os illud aureum & eloquium
dulce? Vbi genæ liliis & roſis ſplendidiores: Vbi
manus ſolo attactu ſanitatem dantes ægris, vitam
mortuis? Heu! quàm obſcurata, quam conſpur-
cata ſunt omnia, ut nec ei forma hominis in ocu-
lis hominum remanſerit! Attamen filius tuus eſt
ô Virgo doloroſa, quem cum Patre æterno habes
communē, qui in terris non habet Patrem, in cœ-
lis non habet Matrem. Vidiſti eum in terris nudū
inter animalia manſueta, quando *Bos cognovit poſ-*
Iſai. 1. *ſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepe Domini ſui:* nunc
attende eum nudatum inter lupos & canes fero-
ces, & quaſi prædam à feris dilaniatam. O quantū
hoc tibi infligit mœroris! Quàm optares lachry-
mis eius cooperire nuditatem, aut eluere tabidum
cruorem!

Dicamus quartò: ECCE HOMO, ô Adam & filii
4. Adæ & filiis eius. Adæ! *Homo* qui venit, quod rapuiſtis exſolvere,
quique ſanguine ſuo irrigaturus eſt novam arbo-
rem vitæ, ut fructum vobis reddat perennaturum
tota æternitate. *Ecce homo*, qui ſpinas maledictæ
terræ veſtræ portat in capite, ut vos impleat, &
terrā cordis veſtri, nova benedictione. *Ecce homo,*
qui *chyrographum decreti quod adverſus vos erat,* Coloſſ. 2.
ſuo parat obliterare cruore, & pio detergere ſan-
guine: immò non ultra vetitum fructum comeda-
tis, iſtomet ſuo ſanguine & ſua vos ſatiabit carne.
Veſtem verò irriſoriā geſtat, ut rurſus, ſicut in Pa-
radiſo primitus, pro veſtimento circumdet vos lu-
mine. Veni igitur, O Adam, noli fugere noli te ab-
ſcondere: noli dicere: *Vocem tuam audivi & ab-* Gen. 3.
*ſcondi me, eò quòd nudus eſſem.* Ecce ſine voce eſt,
quaſi mitis & mutus agnus, nuditatem tuam ſuo
cupiens operire detonio & rubricato vellere: *Ecce*
*Homo*, ſecundus homo, qui te primum hominem à
ſe factum vult in Paradiſum reducere, cū tua pro-
genie, & rurſus vult tibi comparare coronam glo-
riæ, per plagas ſuas & vulnera, per ſpinas & dede-
cora. Omnes aculeos mortis ſua obtundit toleran-
tia, ut tibi illiſque ſalus reddatur & vita & remo-
veatur verſatilis & acuta romphæa, à Paradiſi in-
greſſu impediens.

Dicamus quintò: ECCE HOMO, O Patriarchæ & 5. Patriarchis.
Prophetæ, de quo tot pronunciaſtis oracula, quē-
que tātoperè deſideraſtis intueri. Sed videte an ſit
ille quem nominaſtis. *Deſiderium collium æterno-* Gen. 49.
*rum*, quemq; expectaſtis. *Deſideratum cunctis gen-* Aggai 2.
*tibus*, qui adeo miſerando & ignominioſo habitu
eſt veſtitus, Quis eū ſic agnoſcat? Verè, O Iſaïa, de
eo pronunciaſti: *Non eſt ei ſpecies, neque decor. Vidi-* Iſai. 53.
*mus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum*
*deſpectum & noviſſimum virorum, virum dolorum,*
*ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus*
*eius & deſpectus, unde nec reputavimus eū.* Ecce, O
ſancti Patriarchæ & Prophetæ, quē antea videra-
tis virorum omnino primum, noviſſimus eſt om-
nium. Quem videratis virum exultationis & to- Iſai. 51.
tius gaudii, ideoque deſideraveratis eum, nunc
nonniſi cōſpicitis ut virum dolorum. Quem vide-
ratis fortiſſimum virorum, & *Brachium Domini*
nominaveratis, nunc non videtis niſi ut hominem
*ſcientem infirmitatem*, quam in vulneribus circū-
fert, & in ſpinis terebrantibus verticem ſuum. O
quam abſconditus vultus eius & deſpectus! *Ecce*
*Homo*, O Moyſes, cuius faciem tantopere videre
contendebas, cuius gloriam tranſeuntē & hume-
ros conſpicatus es in foramine petræ, dum incla-
mares, *Domine Deus, miſerator & miſericors, cle-* Exod. 34
*mens, & verax in millia his qui diligunt te.* O nunc
quantum mutatus ab illo: Conſpice humeros fla-
gellis conſciſſos, & vibicibus conſperſos & faciem
abditam ſanguinum grumis. Iam tibi libere datur
eum quaquaverſum inſpectare, nec opus eſt ut te
abſcondas in foramine petræ. Ecce, ecce Homo,
cuius vidiſti poſteriorem gloriam in transfigura-
tionis monte cum Elia, quando loquebaris cum il-
lo *de exceſſu quem completurus erat in Ieruſalem.* En
eius exceſſus in dolore & contumeliis, in tormen-
tis & pœnis acerbiſſimis, in confuſibili habitu &
deſpectu in medio urbis Jeruſalem.

6. *Apoſtolis.* Dicamus ſextò: Ecce Homo, ô Apoſtoli, quem ſecuti eſtis vocātem, ſed infideliter deſeruiſtis inter manus inimicorum agentem, à quibus ſic atrociter tractatus eſt. *Ecce Homo*, ô Petre, de quo dicebas: *Non novi hominem*. An verò nunc non noſti: Ecce ipſe eſt quem adorabas in fluctibus, & quia eum negaſti, meritò reliquum vitæ tranſegiſti in fletibus. Atque ipſe ſanguinem ſuum tuis iunxit lacrymis, ut peccati remiſſionem merearis. *Ecce Homo*, quem ſimul confeſſus es Filium Dei vivi, dum quæreret: *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?* Iam ſatis eluceſcit, quare factus ſit Filius hominis.

7. *Sacerdotibus.* Dicamus ſeptimò, Ecce Homo, ô Sacerdotes, qui vos veſtit iuſtitiâ, ſic irriſoriè veſtitus propter iniquitates veſtras: *Ecce Homo*, quē repræſentatis per ſtolam in collo, per manipulum in brachio, per veſtem candidam ad pedes uſque deſcendentem, per planetam variegatam, per coronam in vertice, per cingulum in pectore. Videte, ut eū imitari valeatis non ſolùm exteriori amictu, ſed etiam interiori puritate & caſtitate, zelo quoque & charitate, quia *Ecce Rex veſter*, Ecce ſummus Sacerdotum.

8. *Magiſtratib. & Iudicibus.* Dicamus octavò: Ecce Homo, ô Magiſtratus & Iudices qui ſic à Magiſtratu & Iudice iniquo iniquè & atrociter eſt tractatus. Ipſe interim eſt homo ille, & Filius hominis, qui ſedebit in ſede Maieſtatis ſuæ, ut iudicet orbē univerſū cinctus Angelis & hominibus. Tunc præcedet eum Columna cui affixus fuit, & flagella quibus ſic dehoneſtatus eſt, clamabuntque plagæ & vulnera cōtra eos qui ea infixerunt. Ipſe eſt qui dicit: *Ego iuſtitias iudicabo*, quantò magis iniuſtitias? Videte ne illorum numero ſitis, qui *declinantes oculos ſuos in terram, cœlum non reſpiciunt, nec recordantur iudiciorum iuſtorum*. Videte ne malè iudicando, & egenos ac innocuos premendo, eius adaugeatis vel renovatis vulnera; tandemque in eius manus vindices & horrendas incidatis.

*Pſal. 78.*

*Dan. 13.*

9. *Peccatori cuiuslibet conditionis.* Dicamus nono: Ecce Homo ô peccator cuiuslibet exiſtas conditionis! Ecce is qui cum in forma Dei eſſet, amore tui factus eſt homo, ut tu reus fieres Deus, divinæ conſors naturæ. *Ecce Homo*, qui ad hoc venit, ut te immergeret in balneo & piſcina Sanguinis ſui, ſicque ſanitatē recuperares ab omni infirmitate, ita ut ultra nō poſſis dicere quod paralyticus; Non Habeo Hominem, *Ecce Homo*, qui ulteriùs ad hoc tibi datus eſt, ut viam oſtēdat quâ in cœlum itur, viam humilitatis & patientiæ, viam caritatis & obedientiæ, viam quoque auſteritatis & pœnitentiæ. Tua ita illū transfigurarunt peccata, tua coronavit ſuperbia, denudavit avaritia & luxuria, plagis confecit ira & impatientia; nec tamen in ſatisfactionem aliud expoſcit à te quàm lacrymam unam compunctionis & pœnitentiæ, optat ut eam coniungas cum fluente cruore ex omni corporis eius parte:

10. *Delicatulis.* Dicamus poſtremò: Ecce Homo, ô voluptuoſi & delicatuli, ô aulici & aulicæ, ô viri & mulieres qui ob cincinnos veſtros, intortoſque crines, tot in fulgida ſua cæſarie perpeſſus eſt dolores, per vellicationem impiorum & ſpinarum involucrum! *Ecce Homo*, qui ob fucatam & perpolitam faciem veſtram tot in vultu ſuo horridis ſputis eſt conſpurcatus: & ob corpora veſtra delicatè cùm luxu enutrita corpus ſuū vobis oſtentat tot livoribus toſtū & confectum. *Ecce Homo*, qui ob ambitioſas veſtras veſtes purpura deridicula vult veſtiri quam ſuo tingit cruore. O quàm carò ei conſtat veſtra caro, veſtræ deliciæ & libidines! Quid ad hæc reſpondetis toti vanitati & voluptati huius ſæculi deditì? Vos divite & fulgente plumis pileo caput exornatis, & Redemptor veſter nonniſi rubo tegitur & ſpinis. Vos barbā variè pectinatis, politis, & in alas deducitis: & ecce propterea Redemptori veſtro crines acerbis evelluntur doloribus, & ſpiſſo cruentantur ſanguine. Caro veſtra putida undique byſſo reſplendet & auro, eius vero caro undiq; inciſa rubeſcit maximo cum cruciatu. Attendite ergo & videte, *Ecce Homo*, qui propter vos omnia hæc patitur, & nemo interim veſtrorum ei compatitur. O inhumanitas & ingratitudo deploranda.

*& cincinnatis.*

*Proſecutio textus evāgelici.*

Sed ad hiſtoriam redeamus. Speraverat Pilatus Iudæorum odium & furorem, Chriſti atrociſſimè flagellati exhibitione placandum, quandoquidem & ludibrium afflictioni tantæ coniunctū eum redderet miſerandum potius quàm invidendum. Sed nihil proficit, quia clamabant, dicentes: *Crucifice, crucifige eum*. Cumque Pilatus cum indignatione & ira ad eos coercendos reſponderet: *Accipite eum vos & crucifigite, ego enim in eo non invenio cauſam*; Dixerunt Iudæi: *Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit*. Verum dicunt, ſicut & Caiphas, cum dixit: *Expedit unum hominem mori pro populo*. Lex ſcil. Moyſis & antiqua Scriptura prædixit Meſſiam & Filiū Dei moriturum pro hominum redemptione. Secundum ergo legem debet mori, quia omnia legis ſacrificia mortem eius præfigurabant & prænunciabant. Debebant impleri omnes illæ figuræ & legis oracula. Hinc & *Agnus dicitur occiſus ab origine mundi*. Atque in lege Moyſis ſcriptum erat: *Erit vita tua pendens ante oculos tuos*, quod de Chriſto in cruce nonnulli ex *SS.* Patribus interpretantur. Verum ergo dicunt, dum aſſerunt ſecundum legem eum debere mori: ſed non recta intentione dicunt. Volunt enim ſignificare ipſum eſſe blaſphemum & obnoxium morti, quia Filium Dei ſe fecit. Sed licet ita eſſet, iniuſtè eum ad crucem petunt, quia blaſphemus lapidibus veniebat obruendus. Verū, ita eſt ô Iudæi. *Filium Dei ſe fecit*, hoc eſt, verè ſe eſſe talem per opera declaravit, & talem ſeſe exhibuit opere, qualem dixit ſermone. Quapropter vos rectè arguit S. Cyrillus his verbis: *Oportebat ſanè quando Pilato dixiſtis, quia Filium Dei ſe fecit nunc opera etiam ipſius in medium afferre. Oportebat quatriduò iam mortuum voce ſola in vitam reſtitutum nar-*

*Quomodo ſecundum legè Chriſtus mori debuerit.*

*Apoc. 13.*

*Deut. 28.*

*Cyrill. l. 12. in Ioan. 19.*

*narrare. Oportebat unigenitum filium viduæ non relinquere. Oportebat Synagogæ Principis puellam nequaquam omittere. Oportebat modum miraculorum etiam non præterire, in altero quidem, Adoleſcens tibi dico ſurge? in altero verò, Puella ſurge.* Hæc cæteraque quibus verè Deus monſtrari poterat, malitiosè præteritis, ô invidi.

Cum autem audiviſſet Pilatus hunc ſermonem, magis timuit, ne fortè iam non ſolum in innocentem, ſed etiam aliquem Deorum hominibus ſimilem peccaret, & Deos ſibi iratos ſentiret. Conſiderans enim modeſtiæ in eo coniunctam gravitatē, ac admirabilem patientiam, rememorans etiam eius vulgata miracula, putavit poſſe eſſe unum ex filiis Deorum Gentilium, Martis vel Jovis, aut alterius cuiuſpiam illorum, de quibus ſcripſerunt Poetæ. Sic enim de Hercule, Remo, Ænea, dixerunt eſſe Semideos, è progenie Deorum prognatos. Ingreſſus ergo Prætorium, interrogat Ieſum: *Vnde es tu.* Certior cupit fieri hac interrogatione de eius origine & maioribus. de qua domo & familia prodierit Altiſſima ſane quæſtio & interrogatio, ſi benè expēdamus, *Generationē enim eius quis enarrabit?* Non eſt ipſe ſimilis fictitiis Diis aut Deorum filiis, qui eſt C*andor lucis æternæ, Speculum ſine macula Filius æterno Proles æquæva Parenti, Figura ſubſtantiæ Patris:* Filiuſque talis, qui ex ſubſtantia Patris æqualis illi in eſſentia & divinitate, in gloria & majeſtate, ſemper gignitur, ſēpēr genitus eſt, Sapientia è Patris mente in æternitatis monte, inacceſſibili humano intellectui, ſemper procedens, longè aliter quàm è capite Iovis fictitia Minerva. Quis ergo ad id reſpondere poterit. Vnde es tu; Aut quis reſponſum, ſi ab ipſo detur, comprehendere: Quapropter quia incapax erat ad hæc ſublimia intelligenda Pilatus, non dedit ei reſponſum Chriſtus: quia etiam ſufficere iam debebat, quòd antea de origine & dignitate ſua ei dixerat: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Vbi ſatis ſignificavit ſe Regem eſſe, ſed Regibus cæteris longe ſublimiorem. Quod rurſus indicat, dum Pilato indignanti, quod non reſponderet ſibi habenti poteſtatem dimittendi, vel crucifigendi, dixit: *Non haberes in me poteſtatem, niſi data eſſet tibi deſuper;* hoc eſt, niſi è cœlo, & è ſupernis, unde ego ſum [quod iam inquirebas) tibi permiſſum eſſet à Patre meo cœleſti. Sicque ſignificat ſe moriturum non tam ex Pilati poteſtate, quam ex divina diſpoſitione.

*Cur Pilatus Chriſtũ de ſua origine interrogat.*

*Iſai. 53.*

Exindè quærebat Pilatus ſtudioſius eum liberare, tum quia monuit eum Chriſtus peccati ſui quamvis majus foret peccatum Iudæorum ex odio inſatiabili procedens; tum quia ſuboluit Ieſum eſſe aliquid ſupra homines cæteros, & ſuam reprimi arrogantiam & injuſtitiam, qua dixerat ſe poteſtatem habere crucifigendi, vel dimittendi Quapropter Sanct. Ambroſ. ſerm. 20. in Pſ. 118. Pilatum ſic alloquitur, & iniuſtitiæ convincit: *Tua Pilate voce conſtringeris, tua damnaris ſententia. Pro poteſtate igitur, non pro æquitate crucifigendum Dominum tradidiſti. Per poteſtatem abſolviſti latronem, auctorem verè vitæ interfeciſti. Bonus Iudex nihil pro arbitrio ſuo facit, ſed iuxta leges & iura pronuntiat, ſcitis iure obtemperat! ſicut audit, & ita & iudicat, ſic ſe habet negotii natura, decernit, examinat cauſæ merita, non mutat.*

*Pilatus Chriſtũ abſolvere conatus eſt.*

Iudæi advertentes Pilatum inclinare ad dimiſſionem, clamabant dicentes: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris, quia omnis qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari.* Quaſi dicant: *V*ide ne reus læſæ Maieſtatis accuſeris, cum partes Cæſaris non agas cujus locum geris, cui & fidem debes. Quibus timorem incutiunt Pilato gravem, ne fortè per Primores Iudæorum delatione facta periclitetur apud Cæſarem, & ſuo privetur officio. Vnde licet magnam de Chriſto opinionem concepiſſet, plus tamen apud eum valuerunt ſermones hi de Cæſare, quam illi quos prius audierat, & propter quos timuerat eſſe Filium Dei. Sic multi magis gratiam hominis curant, quàm Dei, ita ut hac abjecta, impietatem committere non vereantur propter gratiam hominis conſervandam. *In* quo peccavit apertè Pilatus, qui tum ob gratiam populi & Optimatum tum ob timorem Cæſaris, ſtudium de liberando Chriſto innocente deſeruit. *O arundinem vento agitatam? O hominem mollibus veſtitum!*

*Iudæi obſiſtunt.*

Attamen lavit manus, & dixit: *Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius.* Sed quid hoc profuit ei? Audi Sanct. Ambroſium: *Manus quidem lavit Pilatus ſed facta non diluit. Iudex enim nec invidiæ cedere debuit alienæ, nec timori, ut innocentem morti addiceret.* Cui conformiter Sanct. Leo: *Non purgant animum contaminatum manus lotæ, nec in aſperſis aqua digitis expiatur, quod famulante impia mente committitur. Non ipſe evaſit reatum qui reliquit iudicium, & in crimen tranſivit alienum.* Equidem & ipſi Iudæi peccatum Pilati ſponte in ſe ſuſcipiunt, clamantes: *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros* Sed numquid eum à culpa abſolvere poſſunt? Stat immobilis Domini ſententia: *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur.*

*Ambroſ. in Lucā.*

*S. Leo ſer. de Paſſ:*

Ezech. 18

Interim attende, quam impia fuerit vox populi hoc inclamantis, & non ſolum ſe, ſed & poſteros omnes ſuos ſupplicio & pœnæ obſtringētis. Quid promeruere, inquit S. Hieronymus, ô crudeles parentes, ſceleratique patres, filii veſtri necdum loquelæ & rationis capaces? Quid ſoboles necdum nata, aut proles nondum concepta, ut prius eam obſtringeretis ad mortem, quam gigneretis ad vitam? prius pœnis & maledictione involveretis, quam naturam eis miniſtraretis? Senſiſtis utiq; efficacia maledictæ huius vocis, ſive in obſidione civitatis veſtræ, ſive in diſperſione gentis. Etiamnū hodie perſeverat hæc imprecatio maledictionis, & in veſtros refūditur filios diſperſos & abiectos, in vili agētes captivitate per varias orbis partes. Sed illā maximè reperiemini, dū contra vos clamabit Sanguis, Crux, & Vulnera; dum illud adimplebitur:

*Hier. in Matth, 27.*

*Zach. 13.* *Apoc. 6.*

bitur: *Videbunt in quem transfixerunt*. Quia & tũc præ confuſione clamabitis, & dicetis montibus: *Cadite ſuper nos, & operite nos à facie iræ Agni.*

*Impia vox populi inclamãtis ſanguinẽ Chriſti ſuper ſe & ſuos.*

Certè, vox illa fuit maledicta & miſeranda, quia populus, qui hoc Sanguine liberari debebat, ille cruciari vult, ſanguinemque benedictionis vertit ſibi in ſanguinem maledictionis: *Sanguinem melius loquentem quàm Abel*, & invocantem miſericordiam, commutat voce ſua in ſanguinem inclamantem & adducentem vindictam. Dicamus & nos, ſed lõgè ſaniori mente: *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Propterea enim ad hoc fuſus eſt hic ſanguis Agni, ut mundemur, & in eo lavemus ſtolas noſtras. Hoc ſanguine liniamus poſtes animæ, ut ſimus liberi ab Angelo percutiente. Hoc ſanguine aſpergamur, quia ſanguis fœderis eſt, quo Moyſis aſperſit populum. Hic ſanguis potens eſt *emundare conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi: ſine hoc ſanguine non fit remiſſio.*

Rectè advertit Sanct. Chryſoſtomus, quòd Iudæi quaſi gladiũ petant ſub quo pereant, dum dicunt: *Sanguis eius ſuper nos*; cũ ille Fidelibus ſit vita. Sic enim ait hom. de Cruce & Latrone: *Sanguis illis ad mortem, nobis ad vitam; nec enim eſt deterior Babylonio igne. Ille ſcit Sanctorum honorare corpora, & Chaldæos comburere: quantò magis Sanguis ille pretioſus ſcit perdere incredulos, & ſalvare Fideles? Splendor Crucis ſcit excæcare infideles, & illuminare credentes.* Hæc ille.

*Pilatus Chriſtũ voluntati Iudæorum tradit.*

Tandem Pilatus volens ſatisfacere populo, *tradidit eum voluntati eorum, & adiudicavit fieri petitionem eorum, ut crucifigeretur.* O judicium, Judicemque perverſum! Qui antea toties faſſus eſt, & proteſtatus, ſe non invenire cauſam, nunc adjudicat eum neci contra conſcientiam. *Manibus lotis, polluto ore, iiſdem labiis Ieſum mittit ad crucem, quibus pronunciaverat innocentem*, inquit eleganter S. Leo ſermon. de Paſſ. Attendere debueras, O Pilate, quòd olim Alexander Magnus, vitæ & necis in ſuos arbiter, Olympiæ Matri ſuæ urgenti pro condemnatione cuiuſdam quem odio perſequebatur, reſpondit: *Pete aliud Mater; non enim vita hominis ullo valet pretio æſtimari, ullo vel compenſari.*

*Plut. in vita Alex.*

Quantò magis tibi æſtimanda erat vita & ſanguis illius quem verebaris Filium Dei, quemque probè noveras ex invidia tibi traditũ? Itane ergo eum tradere debebas voluntati eorum, perverſiſſimæ ſcilicet perfidorum voluntati, ut opprobroſiſſimè & crudeliſſimè ad crucem pertraheretur, & mille ignominiis afficeretur? Itane agnum lupis conſignare debebas, ut rabida aviditate diſcerperetur, & devoraretur ab eis? Attẽdite, ô Iudices, in quorum arbitrio vita eſt hominum, ne metus, vel favor, in perverſum vos agat. Attendite, inquam, diligenter informationes, põderate accuſationes, diſcutite teſtimonia & teſtes, diſcernite lucẽ à tenebris, ne offendere vos cõtingat impingendo ad lapidem qui latet ſub falſis coloribus. Videte ne Pilati Præſidis Romani ſitis imitatores, qui Dei gratiam perdidit, ne perderet gratiam plebis & Cæſaris: quam tamen utramque poſtmodum perdit, à populo apud Cæſarem accuſatus, exul factus propriæ vitæ vim inferens, ſuiipſius peroſor miſerrimus.

## LECTIO X.

### *De Chriſto crucem baiulante, & Simone occurrente. & ſuccurrente.*

POſtquã Salvator ad mortem damnatus fuit, rurſus eum miniſtri intro rapuerunt, veſteque purpurea nudatum ſuis veſtibus induerunt, ut populo notior redderetur. Hic iterum vulnerum doloriſque renovatio; adhærebat enim veſtis purpurea vulneribus, quaſi eis conglutinata; ideoque non potuit detrahi, niſi cum divulſione doloroſa. Coronam ſpineam non detraxiſſe, tradit inter antiquos Origenes tract, 35. in Matth. Tertullianus quoque, ac Cyprianus, & alii. Idque ex eo colligi poteſt, quòd apud Evangeliſtas fiat mentio chlamidis detractæ & non coronæ: ad majorem ignominiã relicta fuit in capite, eamque eximere fuiſſe quodammodò levare dolorem eius. Niſi dicas extractam fuiſſe, ac rurſus capiti impreſſam, quod aliqui meditantur factum, quando veſte inconſutili iterum indutus fuit; & rurſus, quando ante crucifixionem illa detracta fuit, ita ut & tunc denuò vertici infixa, nova effecerit, vulnera, quod indicatur lib. 1 S. Brigittæ, cap. 11. Certè coronam geſſiſſe dum ad crucem procedebat, ſatis indicat eius facies ſudario impreſſa ſecundùm traditionẽ Eccleſiæ. Hæc etiam corona eum decebat, dum in cruce tamquam throno regiæ ſuæ majeſtatis ſedebat, aut dum in ea tamquam Altari Sacerdotalis ſuæ dignitatis ſacrificiũ offerebat. Et quidem adverſarii coronam ei reliquerunt, tamquã affectati regni ſignum; ac deinde crucem eius humeris impoſuerunt, tamquam malefactoris ſupplicium. Mors enim erat malefactorum crucẽ ſuam ferre, teſte Plutarcho l. de Numinis vindicta ubi ait: *Quemadmodum facinoroſus quiſque ultimo ſupplicio afficiendus corpore ſuo fert crucem propriam, ita improbitas in ſeipſa ſupplicium ſibi ſtruit.*

*Auguſt. in Ioan.*

Exivit ergò *baiulans ſibi crucem; quam ſi ſpectet impietas*, inquit Auguſtinus *grande cenſet eſſe ludibrium, grande ignominiæ documentum: at ſi ſpectet pietas grande eſt fidei munimentum, grande omnino myſterium Impietas ridet, Regem pro virga regni lignum ſui portare ſupplicii. Pietas videt Regem baiulantem lignum, & ſignum, quod fixurus erat etiam in frontibus Regum, & in quo erant gloriatura corda Sanctorum.* Certè multa in hac cruce myſteria cõtinebantur, multæ figuræ & oracula adimplebantur. *De quibus vide dicta à nobis fusè tom.* 1. *Horti Paſtor. tract. 3. lect. 19. & 20.*

*Circumſtantiæ Sacrificii Abrahæ in Chriſto impletæ.*

Impletur certè hic in omnibus ſacrificium Patriarchæ Abrahæ, ſi ſingulas velimus examinare circumſtantias.

1\. 1. Abraham, qui *Pater excelſus* dicatur, non dubitat filium immolare: ſic Pater æternus & ſummus, unigenitum ducit ad ſacrificium, cum gladio juſtitiæ, & amoris igne.

2\. 2. Iſaac ipſe ſibi ligna portavit quibus imponeretur tamquam holocauſtum: ita Chriſtus ſuum geſtat in humeris lignum, victima futurus ſuper illud.

3\. 3. Duos ſervos dimittit Abraham, ne videant myſterium. Et hi quidem Iudæos ſignificant, qui ſerviliter viventes, & carnaliter ſapientes non intellexerunt myſterium Chriſti, nec aſcenderunt in locum ſacrificii. Duo dicuntur, quia peccante Salomone, ex una Iſraelitica plebe duo facti ſunt
*Jerem. 8.* populi, *Averſatrix Iſrael, & Prævaricatrix Iuda.*

4\. 4. Aſinus quo utitur Abraham, quid niſi ſtultitiam inſenſatam Iudæorum deſignat? Illa etenim omnia Sacramenta portabat, ſed ut animal irrationale quid ferret, ignorabat.

5\. 5. Dicitur, *Expectate cum Aſino, poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos*, quia cæcitas ex parte
*Rom. 11.* Iſrael facta eſt, *ut plenitudo gentium intraret, & poſtea Iſrael ſalvus fieret.* Ergo illis dicitur: *Expectate cum aſino*, ut gentium plenitudo intret. *Poſtquam adoraverimus* poſtquam crucis impletum fuerit ſacramentum, & prædicatum gentibus, *tunc revertemur ad vos*, quia Iſrael ſalvus fiet.

6\. 6. Aries hærens cornibus inter vepres pro Iſaac immolatur. Crux cornua habet, dum duo ligna
*Abac. 3.* junguntur: *Cornua in manibus eius.* Hærens ergo aries cornibus inter vepres, Chriſtus eſt crucifixus inter aculeatas & vulnificas Iudæorum impietates, quaſi inter ſpinas.

7\. 7. Peracto ſacrificio dicitur Abrahæ: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Sic poſt illud, *fode-*
*Pſal. 21.* *runt manus meas & pedes meos.* ſequitur apud Prophetam: *Convertentur ad Dominum univerſi fines terræ, & adorabunt eum omnes familiæ gentium.*

8\. 8. Locus ſacrificii Abrahæ vocatur, *Dominus videt*, ſive *Mons viſionis*, quia Dominus è cruce nos vidit, & quia poſt aram crucis videndum ſe deinceps fidelibus præbuit, ut redempti eum per fidem videant, qui eatenus fidei oculos non habebant.

*Crux virga Aaronis.* Impletur quoque hic figura in Virga Aaronis præſignata. De qua ſic diſſerit S. Petrus Damiani: *Virga Aaron poſt ariditatem florens, quid aliud deſignat quàm noſtri Summi Pontificis ſalutare vexillum, immortalis memoriæ ſemper viriditate floridum exuberantium fructuum fertilitate fœcundum? Crux ſemper viret in fide, floret in ſpe, fructificat in charitate. Et poſtquam à terreno ceſpite præciſa eſt, frondet, quia quiſquis per amorem crucis à terrenis deſideriis mentis radicem præſciderit, ad hæreditatem immarceſſibilem capeſcendam, & ſemper virentia æternæ vitæ paſcua convaleſcit.* Ita ipſe ſer. de inventione S. Crucis.

Addere poſſumus, hic adimpleri ſcripturas ſub nomine *Virga regia*, ſive ſcepteri, Crucē præſignantes, quæ futura erat ſymbolum regiæ in Chriſto *Crux virga regia.*
poteſtatis. Quid aliud deſignat Propheta Iſaias quàm crucem, dum de Chriſto vaticinatur: *Factus eſt Principatus eius ſuper humerum eius?* Quid aliud *Iſai. 19.*
Pſalmiſta & Rex, dum ait: *Virgā virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum* *Pſ. 109.*
*tuorum?* Quid aliud Zacharias Vates, dū in perſona Domini pronuntiat: *Aſſumpſi mihi duas virgas,* *Zach. 11*
*unam vocavi Decorem, alteram vocavi Funiculū, & pavi gregem.* Virga *Decor* nominata. Virgo eſt, quæ & Virga de radice Ieſſe appellatur, per quam principium habemus noſtræ redemptionis. Virga ſanè, qua nihil ſubtilius, nihil rectius, nihil implexum habens, nihil nodoſum. Virga *Funiculus* appellata. Crux eſt Domini, quæ noſtram concludit redemptionem. Audi rurſus hac de re S. Petrū Damiani: *Virga pulchritudinis, uterus Virginis, Virga Funiculi, lignum patibuli: diſterminat utraque regnum Dei & Diaboli, imponens frænum malitiæ eius, & poteſtatem coercens. In hac ad horam crucifixus eſt innocens manibus & mundo corde. Terribilis quoque latro, cuius manus plenæ ſunt ſanguine, in hac quoque confeſſus eſt & confectus. Sed Chriſtus aliter, aliter ipſe, Chriſtus ad momentum, ille in æternum. Debellavit enim aereas poteſtates, & affixit cruci: ex una parte affixus eſt Redemptor, ex alia ſummus ille prævaricator. Rex Hai ſuſpenditur in gemino patibulo,* Ioſue 8. ſecundū lect. LXX. *Ita Rex mortis in duplici patibulo ſuſpenditur, quia dum Chriſtum interficit, in ipſa cruce crucifigitur quam invenit.* Hæc ille.

Denique dicamus Chriſto rectè nunc cōvenire verbū illud ſanctæ mulieris Eliæ dicentis: *En col-* *3. Reg. 17*
*ligo duo ligna & morior.* Duo ligna, duo crucis brachia. In his duobus humanam & angelicam naturā intellige. Per lignum in ſublime tendens natu- *Duo ligna mulieris Sareptanæ crux Chriſti.*
rā ſuperiorem accipe, quæ in rectitudine ſtetit & creatori adhæſit. Lignum tranſverſum humanam indicat naturam, quæ tranſverſa, immò everſa, ſtatus ſui perdidit æquitatem. Intuere cum quanto jungantur Sacramēto. In utroque ligno fit ſciſſio, & junctura cōponitur. Cæleſtes ſpiritus vulnus & ſciſſionem acceperunt, dū in Angelis reperit pravitatem; plagam autem & ſciſſionem reſarciri oportuit. Inferior natura tota etiam erat hiantibus vulneribus, ſed impreſſio facta eſt juncturalis, quæ Chriſto jungente ita eſt reſarcita, ut nihil vulnerū reſtet. Chriſtus in utriſque & pro utriſque confixus, utroſque cavilla corporis ſui nectit validius, & corpus propriū iuncturis opponit, nec valeant reſilire. Crux ergo jungit cælum & terram. Chriſtus in Cruce trahit omnia. Leo rugiens ibi ligatur, Angelus confœderatur, & homo reficitur, ſimulque omne quod fecit manus Altiſſimi.

Profectò magnum eſt Crucis Sacramentum, nihil ea ſacratius eſt, poſtquam Domini humeros *Cruce Domini nihil ſacratius.*
tetigit, & eius cruore tincta fuit. Si nō fuiſſet Crux non fuiſſet vita ligno affixa, & non fluxiſſent ex latere eius rivi incorruptionis ex aqua & sāguine, mun-

mundum purgantes. Non foret ruptum peccati Chirographum, non aſſecuti fuiſſemus libertatē, non ligni vitæ fructum percepiſſemus, nō apertus fuiſſet Paradiſus, nō verſatilis romphæa ceſſiſſet è via Eden, non latro habitaſſet Paradisū. Si non eſſet Crux mors, non fuiſſet conculcata, non ſpoliati inferi, non morte affectus ſerpens acerbus. O Crux quàm pretioſa es! O planta & lignum immortalitatis, ſcala regni, thronus Dei, virga potentiæ, virga directionis, theſaurus & fons omnis benedictionis! O benedictum lignum, per quod omnis maledictio ſublata eſt! Sic novit divina providentia de veneficio beneficium de ligno amariſſimo & aſpertimo ſuavitatē & ſanitatem, de morte vitam elicere, *quaſi mel de petra oleumque de ſaxo duriſſimo.* Inimici enim Chriſti ei fabricarant crucem ad opprobrium & necem: ipſe illam nunc vertit in gloriā & honorem, nō ſolum ſibi, ſed & Angelis ac hominibus. Sed proſequamur hiſtoriam.

*Deut. 32.*

Exivit itaque Ieſus ſpinis coronatus, fune collo ligatus, in medio latronū poſitus tamquam Princeps eorum, gravi Crucis pondere prægravatus. Vtiq; ei grave pondus Crux iſta, tum ob corporis eius debilitatem, quod planè exhauſtum erat tot plagis, tamque copioſo ſanguine profuſo; tum ob crucis longitudinē, & groſſitiem, ac aſperitatem, quia ex tempore fabricata erat impolita & rudis, ex omnibus vulneribus unum rurſus efficiens acerbiſſimum toto corpore vulnus. Velut novū torcular erat, ſub quo caro eius uvæ inſtar rurſus premitur, ita ut plateæ Ieruſalem aſpergantur ejus cruentis veſtigiis. Deniq; onus graviſſimū Crux, quia in ea omnium peccata poſita ſunt: *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores*, ait [illegible] Pſalmiſtam. *Peccata noſtra in corpore ſuo pe[illegible]it ſuper lignum*, ait S. Petrus. Tantum ergo ponderabat Crux, inquit ſanctus Thomas, quantum pro omnibus peccatis delendis ſecundùm regulam divinæ juſtitiæ ſatis fuit.

*Crux onus graviſſimū portans peccata hominū.*
*Pſ. 120.*
*1. Pet. 2.*
*3. p. q. 49. a. 6.*

Finxerunt olim Poetæ Atlantem humeris ſuis Cælum Orbemque totum ſuſtollentem. Ecce verus Atlas, qui Iuſtitiæ Divinæ Cælum, Orbemque univerſum ſuis ſuſtentat humeris, quia Orbis totus peccatis erat obnoxius. Sed verius dixerimus, ecce Sacerdos Summus, qui in veſte ſua diverſis icta plagis, diverſis picta coloribus, quaſi in *Veſte poderis totum geſtat Orbem terrarum*: non in figura, aut pictura solùm, ut olim; ſed in reipſa & veritate, quia pro toto Orbe terrarum ſeſe immolaturus eſt in hac Cruce.

*Sap. 18.*

Cæterū, Crux ita corpori exhauſto gravis fuit, ut ſub illa concideret. Hinc coacti fuerunt Simonem quemdam Cyrenenſem angariare & in illum Crucem Ieſu transferre, *ut eam portaret poſt Ieſum*: non quidem in poſteriori parte, ut picturæ quædā indicant, ſed in ſolidū, & integram. Quod fecere, non affectu miſerationis ad ſublevandum Ieſum, ſed crudelitatis: quia timebant ne in via moriens haud crucifigeretur. Angariaverunt autē, ſive coēgerunt dictum Simonem ipſis occurrentem ferre crucem, quia nemo eam volebat tangere, utpote ſignum opprobrii apud milites Romanos, ſignum maledictionis apud Iudæos. Interim latebat hic myſterium divinitus præordinatum, quo volebat Chriſtus gloriā Crucis à Iudæis ad Gentiles tráſferri [illegible] perſona Simonis Cyrenenſis. Cyrene enim Lyb[illegible] vitas eſt. Acto. 1. ideoque ad Gentiles ſpectat; qui quidem fructum crucis debebant præ Iudæis participare. Simul, cùm *Simon* idem ſit quod *obediens*, monetur in eo omnis Chriſtianus obedienter crucem ſibi impoſitam ferre poſt Ieſum, quæ nulli deeſt, qualis, qualis ſit. Quibuſdā enim Deus immittit externas & corporales afflictiones, quibuſdam ſpirituales & internas: quidam moleſtias ab hominibus, alii tentationes patiuntur à Dæmonibus: utrobique crux, ſed perſeveranter ferenda, & cum humili patientia. Imò nullus ſtatus ab ea eſt exemptus, ubique crux nos expectat, nec eſt alia ad cælum via, niſi via ſanctæ crucis regia. Lege Thomam à Kempis hac de re pientiſſimè diſſerentem l. 2. de imit. c. 12.

*Sub onere crucis Chriſtus concidit.*

*Gentiles in Simone ad gloriā crucis divinitus ordinati.*

*Obedienter crux ferenda poſt Ieſū.*

Sapienter & piè cuidam pietatem ſectanti ſcribit nominatiſſimus doctrina & ſanctitate Epiſcopus Franciſcus de Salez: *Numquam cum certitudine ſcitum eſt, quo ex ligno crux Domini fabricata fuerit: diverſæ etenim ea de re ſunt hactenus opiniones. Id inde exiſtimo factum, ut æquali affectu adamaremus cruces, quas nobis Deus mittit, quocumque ex ligno compoſitas: & ut nullus dicat, illa crux amabilis & tolerabilis eſt, quia talis vel talis ligni non eſt, at hæc crux ex aſpero nimis ligno eſt, & intolerabilis. Illæ meliores cruces ſunt, quæ ponderoſiores; illæ autem ponderoſiores ſunt, quæ magis ſunt repugnantes animæ ſecundum partem inferiorem animæ. Cruces quæ foris reperiuntur in plateis, in negotiis externis bonæ ſunt; fortè meliores ſunt illæ quæ domi nobis magis importunæ cenſentur: & quidem meliores quam cilicia, diſciplinæ jejunia, & quidquid auſteritas ſibi invenit. Ibi pateſcit fortitudo & magnanimitas eorum qui ſe agnoſcunt Filios Crucis, & habitatores ſacri Montis Calvariæ. Cruces quas nobis imponimus, aut limitamus, cùm de noſtro aliquid habeant, minores ſunt, & minoris meriti, quia minus crucifigentes. Humiliamus igitur nos, & cum gaudio recipiamus eas quæ nobis ſine nobis imponuntur. Longitudo crucis dat eis pretium; & ita ſimus fideles uſque ad mortem, ut accipiamus coronam gloriæ. Nos profitemur amorem Crucifixi, quid ergò adamare debemus niſi crucem? Quid niſi crucifixi eſſe debemus, quandoquidem amor nos aſſimilat amantis nos?* Hæc ſapiens Epiſcopus Genevenſis.

*Ex quo ligno crux Chriſti facta non cōſtat, & quare. Vide quid de hac re S. Gertrudi dixerit Deus apud Bloſium Monil. c. 10. §. 10.*

Huic conformiter dicebat olim B. P. Damianus: *Crux mundi quatuor climata comprehendit, omnem ad ſe pertrahens creaturam. In medio ſtat Chriſtus ex omni parte [illegible] amplisſimum miſericordiæ ſignum oſtendens. Et ne ubique terrarum currens Redemptorem invenire non poſſes, à quacumque parte procedas, ſive ab Occidente, ſive à Meridie, vel à*

*Septentrione, paratus eſt ſuſcipere venientem. Sed attende quod tibi exprimitur de corde Altiſſimi. Venis ad hominem crucifixum? Crucifixus venias, aut crucifigendus. Qui Chriſti ſunt, crucifixerunt carnem cum vitiis & concupiſcentiis ſuis. Si dignum Chriſto, neceſſarium tibi.* Hæc ipſe.

*Quomodo & cur Simon ad portandā crucem coactus dicatur.*

Quæres, ſi Simon ſignificat idem quod Obediens, & deſignat fidelem quemlibet obedientem cruci humeros libenter ſupponentem, cur dicitur, quod *angariaverunt eū*, ſive coēgerunt ad portandum crucē Chriſti? Reſpondeo, nec hoc ſine myſterio eſſe, quia per id ſignificatur. Fideles crucem Domini naturali quadam averſione horrere, ipſos tamē vim ſibi faciendo obedienter eam ſuſcipere. Illud quoque hic indicatur, multos perſecutores vim illaturos Chriſtianis, & coacturos, ut Chriſtū ſequantur per crucem & martyrium, & hi quidē, etiam repugnāte naturali voluntate, hac in re Deo obedient. Propterea dicebat Dominus Simoni Petro: *Amen, amen dico tibi, cum eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis.* Hoc autem dixit ſignificans quâ morte clarificaturus eſſet Deū. Et cum hoc dixiſſet, dicit ei: *Sequere me.* Ecce Simon hic, Simon eſt, ſive obediens, quia propter obedientiam & amorem Chriſtum ſequetur, & in cruce ſicut ipſe extendet manus ſuas, voluntate rationali ſe offerens in ſacrificium: tamen vincient eum & vinculis cingent perſecutores quaſi invitum, & ducēt quò non fert naturale deſiderium, quod crucem abhorret. Sic igitur angariabant eum, ut portet crucem, & in illa moriatur; tamen hac morte clarificabit Deum, ex obedientia eam ſuſcipiens. Sic poterit dicere cum Paulo. *In omni fiducia magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſive per viam; ſive per mortem. Mihi enim vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum.*

*Ioan. 21.*

*Philip. 1.*

## LECTIO XI.

*De mulieribus Chriſtum ſequentibus, lamentantibus.*

NOn ſolùm Simon Cyrenenſis Chriſtum ſequebatur, ſed & *multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eū.* Multa turba Dominum ſequebatur ſicut diverſa mente, ſic diverſo quoque affectu; Turba carnificum, quæ eum premebat, & hinc inde divexando trahebat. Turba Iudæorum, quæ ei invidebat, & nunc exultabat quaſi leo capta præda, amaris verbis & ſannis inſultabat: Turba nonnullorum qui ſola curioſitate ad hoc ſpectaculum contemplandum concurrerant: Turba denique amicorū, quæ anxiè lugebat ad mortem euntem. Neque hic erat ſolùm affectus humanus, quo quoslibet malè affectos deploramus; non enim dicuntur mulieres lamētatæ ſuper latrones duos qui cum Ieſu ducebantur. Erat quidam ſublimior gratitudinis affectus, qui in hoc lugubri ſpectaculo eis ciebat lacrymas, quia eius non ſolum innocentiam, ſed & præteritam beneficentiam rememorabant, quam toties erant expertæ. Vnde hæc lamentatio turbæ poſt tot præcedentia teſtimonia, etiam maximum eſt teſtimonium innocentiæ Chriſti ad cōdemnationem majorem Principum Iudæorum. Nec defuere viri etiam lamentantes & mœſtiſſimi, ſed de mulieribus ſpecialis fit mentio, qui eis liberior fuit acceſſus, ut inter Principes & milites Ieſum ducētes propiores factæ lacrymis indulgerent & lamentis, inquit Beda.

*Diverſa turba Chriſtū ſequentes.*

Sed quærit S. Auguſtinus, cur ergò conqueritur Dominus apud Regium Prophetam: *Suſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit; quæſivi conſolantem me, & non inveni?* An non hic multi ſimul cum eo contriſtati ſunt? An nō diſcipuli? An non Apoſtoli? An non piæ mulieres? An nō Magdalena? Reſpondet Auguſtinus. *Contriſtabantur illi carnaliter de vita mortali quæ mutanda fuerat in morte, & reparanda in reſurrectione.* Chriſtus verò triſtabatur ob peccata, & ob peccatores; in hac triſtitia comitem non invenit, unde acciperet conſolationem: aliis enim de cauſis plangebāt alii. Quare ponderat Auguſtinus hic non dici. *Suſtinui qui contriſtaretur, & non inveni*, ſed dici, *qui ſimul contriſtaretur*, hoc eſt, ea de re qua ego triſtabar, eamdemque ob rationem. Compatiamur ergo illi ob eamdem rationem, tunc verā habebimus compaſſionem, nec de nobis poterit cōqueri. Audi verba S. Auguſtini: *De hac re debuit eſſe triſtitia, quod cæci medicum occiderunt, quod perniciosè febrientes phrenetici faciebant iniuriam ei, à quo eis ſalus allata fuerat. Ille volebat curare, illi ſævire. Hinc triſtitia medico. Quære an invenerit huius triſtitiæ comitem! Non enim ait; Suſtinui qui contriſtaretur, & non fuit, ſed qui ſimul contriſtaretur, id eſt, ex ea re qua contriſtabar, & non inveni. In triſtitia quam habebat Dominus de illis pro quibus oravit, Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt, nullum comitem invenit.* Hæc S. Aug.

*Auguſt. in Pſ. 68.*

Converſus itaque ad lamentantes Chriſtus, dixit: *Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros.* Nō prohibet fletum, cum ex pio proficiſceretur affectu: ſed vult ſignificare quod ex ignorantia cauſæ paſſionis ſuæ proveniat; quia eū flebant tamquam hominem imbellem, & impotentem & reſiſtere adverſariis ſuis, ut liberaretur à mortuis. Sic nō vult defleri; tamquam ex imbecillitate & impotentia miſer: quandoquidem mors eius mox erat in gloriam & triumphum ceſſura. Quocirca hac de re ſic S. Leo: *Solet infirmior ſexus pro his qui ad mortem damnantur in lachrymas commoveri, & pro natura communis conſideratione miſereri. Hunc planctum non vult Dominus ſibi impendi: quia non docet luctus triumphum, nec lamenta victoriam. Ideo dicit. Nolite flere ſuper me. Ego crucem volens patior, & mortem in me, quam ſum peremptus admitto. Nolite flere pro mundi redemptione morientem, quem videbitis in maieſtate*

*Quo ſenſu Chriſtus mulieres flere prohibeat.*

Patris

*Patris iudicantem.* Hæc S. Leo. Nolite ergo flere,
ô Filiæ Ieruſalem, tamquam ſuper vulgatem ho-
minem pati coactum. Flete interim Filiæ Ieruſa-
lem, pro peccatis veſtris patientem & morientem:
primas repudiat lacrymas, ſecundas habet ſibi ac-
ceptabiles & gratiſſimas , quia & ſpiritum hunc
commiſerationis cum lachrymarum dono in ele-
ctos ſuos effundit, ſecundum promiſſum ſuum: *Ef-*
*Zach. 13.* *fundam ſuper domum David, & ſuper habitantes Ie*
*ruſalem ſpiritum gratiæ & precum, & adſpicient ad*
*me, quem confixerunt, & plangent. planctu quaſi ſu-*
*per unigenitum.* Flete ſuper vos Filiæ Ieruſalem,
quia veniunt dies in quibus dicetis: *Beatæ ſteriles*
*& ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non la-*
*ctaverunt.* Flete ſuper filios veſtros & ſuper om-
nes qui inclamaverunt. *Sanguis eius ſuper nos & ſu-*
*per filios noſtros.* Ipſi enim præſentient tandem
*Ioſeph. l.* hunc ſanguinē ſuper ſe hancq; crucem, dum ma-
*6. c. 12. de* nibus hoſtium tradetur ſanguis eorum, *& diverſis*
*bello.* *modis ludibrij cauſa ſuffigentur; quando & propter*
*multitudinē locus crucibus deerit, & corporibus cru-*
*ces* Ejiciunt nunc à ſe, nec agnoſcunt Regem ſuū,
*Hier. 15.* clamantq; ſe nō habere Regem niſi Cæſarem. Ideo
dicit de illis Dominus per Prophetam: *Eiice eos á*
*facie mea, & egrediantur. Si dixerint. Quò egredie-*
*Cauſſa* *mur? Dices ad eos? Qui ad mortem, ad mortem, & qui*
*cur flere* *ad gladium, ad gladium: & qui ad famem, ad famem,*
*mulieres* *& qui ad captivitatem, ad captivitatem.* Alii enim
*iubean-* gladio peribunt, alii cruce alii fame, alii peſte, de-
*tur.* nique ut mancipia viliſſima vēdentur pro 30. dena
riis triginta. Flete ſuper hoc filiæ Ieruſalem, quia
ideo & ipſemet flevit Salvator, ingrediens civita-
tem veſtram, etiam in medio ſuo triumphi & ac-
clamationum, plorans fuit & lachrymas fundens
nunc autem idipſum non ſolum lacrymis , ſed
ſuo deflet cruore in plateas veſtras defluēte. Quod
ſi non fleveritis, lapides flebunt. Flete, flete filiæ
Ieruſalem, quia rivi ſanguinis innocui defluunt
nunc in lapides Civitatis veſtræ, ſed poſtmodum
ipſa tota natabit civium veſtrorum ſanguine. Ape-
rientur viſcera eorum, ad ſcrutandum an non la-
teat in eis aurum. Matres cogentur filios comede-
re: parvuli allidentur ad muros à matrum ſinu a-
*Thren. 5.* vulſi. Hæc prævidete, & plangite cum Propheta
flebiliter dicentes: *Defecit gaudium cordis noſtri,*
*verſus eſt in luctum chorus noſter, cecidit corona capi*
*tis noſtri. Væ nobis, quia peccavimus. Propterea mœ-*
*ſtum factum eſt cor noſtrum & contenebrati ſunt ocu*
*li noſtri propter montem Sion, quia diſperiit.* Has la-
crymas non prohibet Chriſtus, ſeu ad eas invitat,
& optat ut vos & filii veſtri lacrymis præveniatis
æternas. Ideo addit

*Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet,*
Quod quidem ſic interpretatur Venerab. Beda, ut
Lignum viride ſeipſum, ſuoſque electos, aridum
verò impios peccatores ſignificet. *Si ego,* inquit ip
ſe, *qui peccatum non feci, qui lignum vitæ meritò ap*
*pellatus fructus gratiæ duodenos per ſingulos menſes*
*affero, ſine igne paſſionis à mundo non ex eo, quid putas*
*eos manere tormenti, qui fructibus vacui ipſum in-*
*ſuper vitæ lignum flammis dare non timent?* Hæc Be
da. Itaque Iudaicus populus. *Lignum aridum* dici-
tur, gratia Dei deſtitutum, & ad ſolum ignem ido-
neum, ſic & omnis peccator. Ideo in huius rei ty-
pum ante aliquot dies maledicta arbor exaruerat.
Cogitemus ergo hic ne ſimus & nos arbores aridæ *Math, 22*
& igni deſtinandæ, ac ſimul penſemus quanta ſit
de impiis ultio ſumenda ob peccata eorum, quā-
do ob hominum peccata Filium ſuum tanta voluit
pati Deus.

Fleamus ſuper nos, fleamus & ſuper Chriſtum *Flere ſu-*
propter peccata noſtra, hoc enim ei erit acceptiſſi *per Chri-*
mum, maximè hoc ſacro tempore. Quod quidem *ſtum ob*
multis liceret declarare exemplis, ſed unicum pro *peccata*
feramus illuſtre de B. Maria Ogniaca , quæ certè *noſtra illi*
inter flentes Dominum filias Jeruſalem meritò *gratiſſi-*
recēſita fuit, agens in Diœceſi noſtra Leodienſi; *mum.*
De hac ſic ſcribit Carpinalis Vitriaco: *Principiū con* *Exēpla.*
*verſionis eius & primitiæ dilectionis, Crux & Paſſio*
*Domini. Cùm enim quadam die cōſideraret mira be-*
*neficia hominibus per Chriſtum collata, tantam com-*
*punctionis gratiam & lacrymarum copiam torculari*
*crucis in Paſſione expreſſam percepit, ut veſtigia eius*
*per Eccleſiam ingredientis lacrymæ in pavimentum*
*ubertim defluētes proderent. Ab hac divina viſitatio*
*ne multo deinceps tempore non poterat intueri imagi-*
*nem Crucis, nec loqui aut audire de Paſſione, quin præ-*
*cordis defectu extaſim pateretur & tota lacrymis ma*
*deſceret. Die quodam ante Paraſceven maiori lacry-*
*marum imbre & gemitibus ſe immolabat ob immi-*
*nentem Paſſionem. Vnde eam quidam Sacerdos horta*
*tus eſt blandè increpando, ut in ſilentio oraret, & la-*
*crymas cōpeſceret. Illa ut erat columbina ſimplicitate*
*obediens, licet ſciret ſe id non poſſe, clam è templo egre*
*diens, ſeceſſit in locum ſecretum impetravitq; cum la-*
*crymis à Domino, ut Sacerdoti oſtenderet non eſſe in*
*poteſtate hominis lacrymarum ſiſtere impetum, quan*
*do flante Spiritu vehementi fluunt aquæ. Eodem die*
*Sacerdote celebrante tanto lacrymarum alluvio mer*
*ſus eſt ſpiritus eius, ut penè ſuffocaretur, & quo plus*
*nitebatur coercere, tantò plus fluebant, ita ut lintea*
*altaris irrigarentur, nec poſſet ſine interruptione pro-*
*nunciare. Sic experientia didicit, quod antea per como*
*miſerationem ſcire noluit, reprehendens non ſatis caute*
*tè ancillam Dei Poſt Miſſam revertens ipſa in Eccle-*
*ſiam, dixit Sacerdoti: An expertus es non eſſe in manu*
*hominis impetū ſpiritus cōtinere Auſtro flante?* Hæc
Cardinalis Vitriaco addens hæc verba. *Qui vidit,*
*teſtimonium perhibuit.* Cum verò per dies & noctes
aquarum exitus deducerent oculi eius, & multis
egeret ſudariis ad eas excipiēdas, quia in Eccleſiæ
pavimentum decidentes, mixtæ pulveri ſordes ef-
ficiebant, interrogavit eam dictus eius Confeſſa-
rius, an capiti nocerent Cui illa: *Hæ lacrymæ ſunt*
*refectio mea, ſunt panes die ac nocte, nec affligunt ca-*
*put ſed mentem nutriunt, animam ſerenant; nec cere-*
*brum evacuant, ſed mentem ſuavi unctione mulcēt,*
*dum non extorquentur, ſed à Domino ſuppeditantur*
*ſponte.*

Neque

*S. Veronica flens Christo ſudariũ porrexit.*

Neque hic prætereunda eſt pia mulier *Berenice* ſive *Veronica* dicta, quæ Domino ad Crucem eũti collacrymans, ſudarium porrexit. Cui ſudario Chriſtus vultum ſuum impreſſit. Quod Romæ etiamnum aſſervatur, & quotannis in Baſilica S. Petri die cœnæ Domini populo ſpectandum exhibetur magno piorum concurſu. Hujus *Veronicæ* pietatem imitata eſt. S. Plautilla, quæ S. Paulo ad mortem procedenti velũ capitis ſui tribuit, ut illo ſibi oculos velaret vice ſudarii; illudque poſtea roſeo Pauli ſanguine perfuſum in amoris pignus recepit. Dicunt verò nonnulli, tres Chriſti effigies in triplicato ſudario fuiſſe impreſſas ipſo faciem abſtergente, unamque Romæ, alteram in Giennenſi civitate Hiſpaniæ, tertiam Hieroſolymis aſſervari, & peregrinis illuc religionis gratia cõfluentibus cũ veneratione exhiberi. Putant quoque multi hanc Veronicam, ſive Berenice, fuiſſe mulierem illam, quæ à ſanguinis fluxu per Dominum curata fuit.

*S. Plautilla S. Paulo velum capitis ſui tribuit.*

*Cartagena in tr. de Paſ.*

Si felix fuit occurſus Simeonis & Annæ, quando occurrerunt Domino in templo cum gaudio, initio infantiæ ſuæ: Non minus felix occurſus Simeonis & Veronicæ, quando occurrerunt Domino in itinere Calvariæ, bajulanti crucem in fine vitæ ſuæ, Tunc Simoni crucem ſuam tradidit Dominus, in conſortium doloris; Veronicæ imaginem faciei ſuæ, ad incitamentum pietatis & amoris, ſicut ſeipſum tradiderat in brachia Annæ & Simeonis. O quam frequenter pia hæc Chriſti amatrix faciem iſtam intuita eſt cum lacrymis doloris & amoris! O quam ſpecioſum ei fuit ſpeculum effigies iſta, in qua peccata populi cernebat, & Domini charitatem admirandam contemplabatur; ſicque ad gratitudinem ſeſe excitabat, & compaſſionem lacrymoſam, ſibi dicens cum Propheta: *In abſcondito plorabit anima mea, à facie ſuperbiæ plorans plorabit, & deducet oculus meus lacrymam.* Hæc facies Chriſti, facies humilitatis eſt; ſed ſic humiliatus eſt per ſuperbiam & crudelitatem ac ingratitudinem Iudæorum, immò & noſtrum omnium: ideo lacrymis digna eſt irrigari, non ſolùm à Veronica & mulieribus eam comitantibus, ſed etiam à nobis. Quòd ſi deſint nobis lacrymæ, ſaltem imitemur amicos Iob, de quibus dicitur: *Cum elevaſſent oculos ſuos procul, non cognoverunt eum ſciſſiſque veſtibus ſparſerunt pulverem ſuper caput in Cœlum. Et ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus & ſeptem noctibus? & nemo loquebatur ei verbum, videbant enim dolorem eſſe vehementem.* Sic & nos ſaltem per ſeptem dies ultimos quadrageſimæ ſacræ attẽtis & ſtupefactis animis conſideremus vehemẽtem dolorem Chriſti Domini, ſi ejus amici volumus dici, & intueamur faciem illam propter nos ſic dilaniatam & deturpatam; intueamur, inquam, illam in ſilentio animæ, & *effundamus cor noſtrum ſicut aquam in conſpectu eius.* Hoc erit obſequium ei gratiſſimum, & nobis maximè proficuum. Imò offeramus ei cor noſtrum, tamquam linteum purum & candidum, in quo imprimat faciem ſuam doloroſam & amoroſam, ut doloris & amoris eius numquam contingat oblviſci, nec *gratiam Fideiuſſoris qui animam poſuit pro nobis:* ſed ſimus de illis de quibus dicit Apoſtolus: *ante quorum oculos Ieſus Chriſtus præſcriptus eſt in nobis crucifixus.* Nulla nos involvat faſcinatio, quâ fiat ut ab eo pios oculos avertamus, aut veritati quam nos docuit, non obediamus. *Galat 3.*

*Occurſus Simonis & Veronicæ felix.*

*Ier. 13.*

*Iob. 2.*

*Dolor paſſionis Chriſti maximè in fine quadrageſimæ conſiderandus.*

Ruminemus quoque illud frequenter: *Si in viridi ligno hæc fiunt, in arida quid fiet?* Toto enim Paſſionis decurſu illud nobis rememoratur. Primò quidem, ſi conſideremus Chriſtum Dominum in Horto anguſtiæ toto corpore proſtratum, & terræ illiſum, ibique in oratione, ſudore & lacrymis, ac ſanguine perfuſum, pavidum, mœſtum, anxium; Nonne meritò paventes nobis ipſis, dicerimus: *Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet?* Si is qui ſucculenta arbor eſt, & viva, fructibuſque optimis plena, ita dejicitur, ita ſolo ſternitur, ob ſolam mortis memoriam & pœnarum tuis debitarum peccatis: Quid fiet de te? Quantò magis deberes ariditati tuæ infructuoſæ timere, ne non ſolùm proſternaris in terram tamquam arbor infelix: ſed etiam igni tradaris æterno in eſcam & pabulum? Hujus rei memoria, timorque te ad meliora nunc deberent erigere.

2. Si conſideremus quæ tota nocte Chriſtus paſſus eſt, dum alapis & pugnis percutitur, dum oculi ejus velantur, dum capilli capitis & genarum velluntur, acerbiſſimo cum dolore, dum illuditur omni cum crudelitate; nonne nobis ipſis meritò cum tremore iterum dicere debemus: *Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet?* Si propter peccata tua hæc patitur Chriſtus, quid erit de te in infelici illa nocte qua hoſtibus traderis ob propria ſcelera illudendus, omnique tormentorum genere afficiendus? O nox lacrymis & ſancto timore prævenienda, animique ad ſaniora converſione!

3. Si ulteriùs conſideremus quæ paſſus eſt Chriſtus in columnæ alligatione & flagellatione horrenda, forſitan verberum & plagarum ſupra quinque millia, quæ deinde in coronatione & terebratione capitis crudeliſſima; nonne rurſus meritò nobis ipſis timentes dixerimus: *Si in viridi ligno hæc fiunt in arido quid fiet?* Si hæc patitur Filius Dei per omnia innocuus, & quidem patitur in cauſa aliena: Quid erit de te, ô lignum aridum, omni pietatis ſucco deſtitutum, quando rudentibus inferni æternum colligaberis, & in lacum detraheris ob propria demerita? Hæc expende & morum emendationem ſtatue nunc ſeriò, ne tunc pœniteas nimis ſero.

4. Denique ſi conſideremus Chriſtum bajulantem Crucem, & ſuo ſignantem viam ſanguine, fatiſcentemque ſub Crucis pondere, in qua poſtmodum manibus pedibuſque crudeliſſimè transfigitur; nonne meritò tremens tibi dixeris denuò: *Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet?* Quam ſententiam

tentiam expectare debes tot ſcelerum reus, ſi hæc ob illa patitur Deus? Et quidem patitur tanta, ut tui peccati magnitudinem agnoſcas, quod ſic cruciare poteſt Filium Dei; cuius ſola mors & ſanguis tanto profuſus dolore poteſt pro illo ſatisfacere. Ergò pave; & cave. Pondera in mentis & cordis tui æqua lance hæc Filii Dei tormenta, conferens illa cum tormentis numquam intermorituris, quæ te expectant, niſi oculos aperueris. Vt autem *Lignum aridum* deſinas eſſe ſolis aptum ignibus, & rurſus vireſcas virore gratiæ & pietatis, perfunde te illius rore & ſudore, illius lachrymis & ſanguine cicũquaque fluente. Illius ſanguis, illiuſq; lachrymæ, tibi fœcunditatem reddent & ſuccum vivificum; ſi tamen & tuas coniunxeris per pœnitentiam lachrymas. Delictorum enim pœnitentia cum viva fide te rurſum inſeret *in bonam hanc Olivam, ut* Rom. 11.
*fias ſocius radicis & pinguedinis*. Et tunc tamquam felicem & fertilem ramum *Radix portabit te*, & ab Igne ac Securi ſecurus eris.

## LECTIO XII.

### *De monte Calvariæ, & de his quæ in eo geſta ſunt circa Chriſtum.*

Matt. 27 PRoſequitur Evangeliſta Matthæus, & dicit; *Venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod eſt Calvariæ locus. Et dederunt ei vinum bibere cũ felle mixtum, & cùm guſtaſſet, noluit bibere.* Marcus habet, *Vinum myrrhatum*. Sed idem eſt; quia nihil aliud volunt Evangeliſtæ, quàm vinum illud fuiſſe amariſſimum; & Myrrha fel dicitur hic ob amaritudinem. Chriſtus autem *non accepit*, ſive *cum guſtaſſet, noluit bibere*, hoc eſt, non trajecit intra ſe: myſticè ſignificans, ſe non bibiſſe antiqui ſerpentis venenum interius, ſed ſolam pœnam admiſiſſe exteriùs. Bis ergò dederunt Domino potũ amaritudinis; hic tamquam fatigato in itinere; ac poſtmodum pendenti in cruce, adimpletaque eſt
Pſal. 68. illa Prophetia; *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti potaverunt me aceto.* Prior pars Prophetiæ impletur modò; poſterior impletur poſtmodũ dum dicit, *Sitio*, & propinatur ei acetum. *Illudendo hoc fecerunt, ne Regi etiã Pincerna deeſſet*, inquit Theophilactus. Attende interim inhumanitatẽ & barbariem. Nam omnium gentium more his qui ducuntur ad mortẽ, vinum aut potus cõfortans pro-
Proverb. ult. pinatur, ut animus illis addatur, & conſiliũ Sapientis perficiatur: *Da ſiceram mœrentibus, & vinum*
Ex malitia Iudæorum eſt in vinũ felle & myrrha mixtum. *his qui amaro ſunt animo.* Sed ex malitia *Iudæorum* vinũ iſtud myrrha & felle miſcetur, ut Chriſto ex crucis põdere, & totius penè ſanguinis profuſione exhauſto propinetur, ne vel lingua intacta maneat à tormentis. Sic nempe patet quam verum ſit illud de Iudæis: *De vinea Sodomorum, vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ: uva eorum, uva fellis, & botri amariſſimi: fel draconum vinum eorum,*
Deut. 32. *& venenum aſpidum inſanabile.* An non *Vua fellis, uva eorum*, quandoquidem non ſolum vinum felle miſcent & amatore, ſed etiam ob fel amariſſimi odii, in quo corda eorum natant, Chriſto denegant, quicquid ei vel minimum ſolarii afferre poterat? An non odium iſtud meritò vocatur *fel draconum, & venenum aſpidum inſanabile*, quandoquidem nullis beneficiis, nulla arte, nullis miraculis ſanati potuerunt? *Sicut aſpides ſurdæ obturarunt aures ſuas ad vocem Domini incantantis ſapienter*, ut educeret eos è cavernis malitiæ & invidiæ viroſæ, & nunc ſicut dracones inſurrexerunt in eũ, virus ſpirantes continuum & ardentiſſimum, nullis eius ſaturandi tormentis, nec rivis ſanguinis. Ideò reciprocè eis comminatur Dominus: *Ego cibabo populum iſtum abſynthio, & potum dabo eis a-* Ier. 9.
*quam fellis. Et alibi Caput aſpidum ſuget, & occidet eum lingua viperæ; non videat rivulos fluminis, torrentes mellis.* An non hæc omnia eis evenerunt poſt Iob. 20.
mortẽ Salvatoris, dũ natant in tot aquis anguſtiæ & tribulationis, continuum velut fel & virus bibentes, & gratiæ rivulis excluſi, & à melle cõſolationis? Profectò ignominia, & perſecutio, & amaritudo mira populum Iudaicum eſt ſubſecuta, in vindictam fellis & odii quo Chriſtum potarunt.

Nos interim attendamus ne ſimiles illis inveniamur, Dominum ſalutis noſtræ ſitibundum potantes felle peccatorum noſtrorum; ita ut cogatur cum ignominia nos evomere, & eiicere à ſe in æ- Pſal. 74.
ternũ, & calicem illum nobis propinare, *cuius fæx numquam eſt exinanita.* Ipſe plantavit nos *Vineam electam, & ſemen verum*; quomodo ſic degeneramus in amaritudinem felleam, aut in *Vuam Sodomæ* Hier. 2.
*& Gomorrhæ* fœtidiſſimam? Caveamus, eheu, hãc Domini de quibuſdam querimoniã fletu dignam. Caveamus & illud S. Petri *In felle amaritudinis vi-* Act. 8.
*deo te eſſe, & obligatione iniquitatis.*

Imitemur potiùs S. Clarã de Monte Falco, quæ in conſideratione frequenti fellis & Paſſionis Domini Ieſu ſic amaritudine repleta fuit, ut quicquid bibebat, vel comedebat, amarum ei foret ob memoriã amaritudinis qua affectus fuerat Dominus. De hac re ſine lachrymis nõ loquebatur; ſed quidquid videbat, intelligebat, dicebat, videbatur ei reſperſum felle crucis Chriſti. Exinde factum eſt, ut ſigna Crucifixi impreſſa fuerint caſtæ Virginis cordi, cũ omnibus Paſſionis eius inſtrumentis. Neque id ſolum: ſed & in felle eius repertæ ſunt tres pelliculæ rotundæ, magnitudine trium nucum. Eiuſdem autem erant coloris, magnitudinis, & ponderis; & nihilominus una illarum tantum ponderabat, ac aliæ duæ. In qua re non ſolum Paſſionis Dominicæ, ſed & Trinitatis mirificæ myſterium deſignatum exiſtimatur? quia utrique myſterio devotione ſingulari peraddicta erat. Sic ipſa audiebat Dominũ dicentem: *Recordare paupertatis meæ, abſynthii, & fellis.* Ideò obedicbat reſpondens: *Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea.* Thren. 3.
Data igitur nobis eſt in exemplum, ut eiuſdem rei memores ſemper ſimus.

Luc. 23.

*Poſtquam venerunt in locum qui dicitur Calvaria ibi crucifixerunt eum.* Cur hic mons dictus ſit Calvariæ alibi diximus. Neq; enim ſolum ob calvarias varias morte ibidem damnatorum ſic appellatus eſt; ſed etiam ſic dictum ob calvariam Adæ ibi ſepulti, antiquorum Patrum paſſim eſt ſententia. Quamquam illa non ſatis arrideat S. Hierony mo, non eſt tamen refellenda, quia eam docuit S. Athanaſius, Cyprianus, Amb. & alii. Idem tradunt multi graviſſimi viri huius ſæculi. Hinc pingi ſolet ad pedes Crucis paſſim hominis Calvaria, quã repræſentare caput primi hominis docet Albertus Magnus, & alii. Dicimus ergo cum Auguſtino, *Convenienter ibi plantatur Medicus, ubi iacebat ægrotus.* Dicimus quoq; cũ Theophilacto S. Chryſoſtomi diſcipulo: *Vbi fons mortis, illic Dominus moritur, ut illum exſiccet.* Nec repudiamus quod ipſemet Sanct. Hieronymus in Epiſtola Paulæ ad Marcellum dixit: *Locus in quo crucifixus eſt Dominus, Calvaria appellatur, quod ibi ſit antiqui hominis Calvaria condita, ut ſecundus Adam, & ſanguis eius de Cruce ſtillans, primi Adam peccata dilueret & impleretur illud: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Denique dicimus cũ S. Bonaventura exclamante in ſpiritu pietatis: *Vtinam ſit anima mea, inſtar Calvariæ Adæ ad pedes Chriſti crucifixi iacens, ut eius perfundatur tota ſtillante ſanguine!* Nec cuiquam incredibile videatur, quòd ibi ad mortem damnatorum capita truncarentur, aut crucifigerentur, ubi protoplaſti & communis omnium parentis ſepultura eſſe dicebatur. Hoc enim permiſiſſe potuit Deus ſpeciali providentia, quia primus ipſe mortis auctor Adam fuit, inter nocentes meritò reputatus, cum & maledicta condemnataque fuerit terra ob eius delictũ. Veniens ergo Chriſtus in ſimilitudinem carnis peccati, *ut de peccato damnaret peccatum in carne,* in maledicto terræ loco crucifigi voluit, ut maledictã terram ſuo ſanctificaret ſanguine, ipſoſque qui ad mortem condemnati erant propter Adam, morte & condemnatione ſua vivificaret, & liberaret, cum illo.

Calvaria mons unde ſic dictus.

Aliter docet S. Hier. ſcribens in Matt.

Propterea etiam ad arborem extendit manus, quia ut exprimit eleganter B. Petrus Damiani; *Primus homo cum manum ad arborem Diabolo ſuadente porrexit, quaſi ligneæ tabulæ chyrographum deditiæ ſervitutis inſcripſit: Secundus igitur homo cùm in cruce manus extendit, cautionem illam letiferæ actionis oblitterando delevit.* Sic factum eſt, ut ſicut per lignum ſervi facti ſumus, & inimici, ac de Paradiſo eiecti; ſic per lignum liberati, revocati, in amicitiamque Dei & Angelorum reſtituti eſſemus. Immò SS. Patres de Cruce Domini in hoc monte Calvariæ fixa tamquam de Vexillo victoriæ & Trophæo nomini erecto loquuntur; ita ut illud ei conveniat Iſaiæ 13. *Super montem caliginoſum levate ſignum.* Ecce ſuper montem hunc mortis caligine opertum, vexillum Crucis extollitur: *quia congruebat ut ibi vitæ noſtræ primitiæ locarentur, ubi fuerant mortis exordia,* inquit S. Ambroſius lib. 10. in Luc. cap. 23. Illud ergo crucis lignũ portendebat triumphum, tum de morte, tum de Diabolo, & inferno. Vnde idem S. Ambroſius deſcribit Chriſtum in crucem aſcendentem quaſi in currum ſuum triumphalem. Audi eius verba diſertiſſima. *Nunc currum ſuum triumphator aſcendat, non arborem truncis, aut quadrijugis plauſtris manubias de mortali hoſte quæſitas, ſed patibulo triumphali captiva de ſæculo ſpolia ſuſpendat. Non hic revinctis poſt tergum brachiis gentes, nec exciſarum urbium imagines cernimus, aut ſubmiſſa captivorum Regum colla miramur, qualis humanorum ſolet eſſe ſpecies triumphorum: nec victoriæ terminos regionis fine diſtinctos; ſed orantes populos nationum quæſito: non ad ſupplicium, ſed ad præmium; Reges liberis affectibus adorantes, voluntariis urbes ſtudiis deditas & in melius reformatas imagines oppidorum, quas non fucus expreſſerit, ſed devotio coloraverit: fidei arma, victoriarumque iura toto orbe currentia: captivum Principem mundi, & ſpiritualia nequitiæ, quæ ſunt in cœleſtibus, obedientia imperio vocis humanæ; variatumque virtutum ſpecies, non ſericis, ſed moribus emicantes. Fulget caſtitas, fides ſplendet, & induta mortis exuviis devotio fortitudinis: iam reſurgit unius diei triumphus. Fecit omnes prope iam homines triumphatores Crux Domini.* Hæc S. Ambroſius.

Adam ad arborem vetitam Chriſtus ad lignũ vetitum extendit manus.

SEd & triumphum Chriſti ſatis indicat Titulus ei juſſu Pilati inſcriptus Hebraicè, Græcè, & Latinè. ac Cruci, ſive Capiti eius ſuperpoſitus Scriptus enim fuit triplici eminentiori lingua; *Hebraica* propter Judæos in lege gloriantes; *Græca*, propter Gentium ſapientes; *Latina*, propter Romanos iam pene omnibus dominantes. Et quia horũ omnium Salvator eſſe debebat, ideo Columnæ eius Triumphali, non ſolum iuſſu Præſidis, ſed certè ſpeciali Dei providentia, hic Titulus inſcribitur IESUS NAZARENUS REX IUDAEORUM. An tãtũ Iudæorum? Imò & Gentium. Et hi Iudæi ſunt, hoc eſt confitentes. *Iudæorum Rex Chriſtus, ſed Iudæorum circumciſione cordis; ſpiritu, non littera, quorum laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt: pertinentium ad Ieruſalem liberam Matrem noſtram æternam in Cælis, Saram ſpiritualem, ancillam & filium eius foras de domo libertatis eiicientem,* inquit S. Auguſtinus. Multi ergo Iudæorum, immò & exterorum, hunc titulum legerunt, quia multi exterorum Ieruſalem convenerant: & cum mors hæc pro omnium ſaluti eſſet, omnique linguæ & nationi foret prædicanda, magno myſterio Titulus iſte omnibus eſt propoſitus ad legendum. Quinimò cùm hæc foret ARA IGNOTI DEI, ne ignotus ſemper maneret, voluit Pater ei Titulum apponi, IESUS NAZARENUS: quo Titulo erat poſtmodum ab omnibus nationibus agnoſcẽdus, & adorandus, ut Deus, ut Rex, ut Sacerdos. Quantumvis verò apud Pilatum Iudæi urſerint, non

De titulo Crucis.

potue-

*Mutare titulum Chriſti, Pilato deſuper permiſſum.*

potuerunt immutare Titulum hunc, quia ei hoc deſuper non fuit permiſſum. Stabile namque & perenne eſt Regnum Chriſti: & *T*itulum victoriæ ac poteſtatis eius, nec Pilatus, nec Iudæus, nec quiſpiam alius poterit eradere: omnis ætas, omneque ſæculum illud agnoſcet; immò æternitas illum ſibi inſcriptum conſervabit. Tum quia ſic in Cœlo decretum eſt ab æterno: tum quia ſic etiam à Chriſto pronunciatum eſt, interrogante *P*ræſide an eſſet *Rex Iudaorum:* EGO SVM. Ideo itaque *Pilatus quod ſcripſit, ſcripſit, quia Dominus quod dixit dixit.* Audi rurſus S. Auguſt. tract. 117. in Ioan. *O ineffabilem vim divinæ operationis, etiam in cordibus ignorantium! Nonne occulta quadam vox Pilato intus, quodam, ſi dici poteſt, clamoſo ſilentio perſonabat, quod tantò ante Pſalmorum libris prophetatum eſt? Ne corrumpas tituli inſcriptionem?* Hæc Auguſtinus, citans titulum *Pſ. 59. in finem ne diſperdas,* & exponens de inſcriptione hac non delenda.

*Nota Cõverſionẽ Procopii ad inſtar S. Pauli.*

Non alienum eſt ab hoc propoſito, quod de *S.* Procopio legimus. Hic acceperat à Diocletiano mandatum perſequendi Chriſtianos, & ideò venerat Alexandriam cum duplici cohorte: & noctu quidam procedebat ob nimium æſtum. Cum autem eſſet in via circa tertiam horam noctis, vehemens terræ motus factus eſt, cum fulgore terribili, quo omnes quaſi exanimati ſunt. Vox interim ad eum è cœlo venit: *Quo vadis, & adverſus quem tanto impetu concitaris?* Reſp. *Imperator me creavit Ducem Alexandriæ, cum poteſtate ut quoſcumque ex Chriſtianis è medio tollam* Rurſus vox ei *Tu etiam contra me venis:* At ille. *Quis es Domine? Non enim poſſum cognoſcere.* At mox apparet ei Crux cryſtallo ſimilis, voxque è Cruce: *Ego ſum Ieſus Nazarenus, Crucifixus, Dei Filius* At ille. *Si Filius Dei es, quomodò te condemnarunt Pontifices & Præſides Iudæorum? Quomodò ligno crucis ſuſtinuiſti affigi, & acetum felleum tibi dari?* Cui vox. *Quia futurus es mihi Vas electionis conſilium tibi ſuſcepta carnis aperiam. Niſi fuiſſem traditus, eos qui traditi erant Diabolo non revocaſſem ſi non fuiſſem condemnatus, illis qui erant condemnati non dediſſem remiſſionem. Si non eſſem ligno crucis fixus, non reformaſſem eos qui eju ligni interierunt. Si morte non eſſem affectus, eos qui morte erant affecti non vivificaſſem.* Hæc cum dixiſſet Dominus, divino gaudio eius animum implevit, & aſcendens in Cælum, dixit: *In hoc ſigno quod tibi apparuit, vince hoſtes, & pax mea erit tecũ.* Ille gaudio plenus, acceſſit Schytopolim, & clam accerſivit aurifices, dicens: *Poteſtis ne efficere vas quod vobis dixero?* Illi verò deſignaverunt ei virum peritiſſimum, nomine Marcum & dixerunt: *Ille faciet quod volueris.* Introduxit itaque eum ſeorſum, & formavit ei digito figuram crucis quæ ſibi apparuerat, iubens ut ſimile vas efficeret. Marcum ſubiit timor, & ait: *Domine, non poſſum hoc facere, ſcio enim ſignum eſſe Galilæorum, ſi reſciat Imperator, me perdet,* At ille dat juſiurandum nulli ſe unquam dicturum. Sic perſuaſus Marcus, ex auro & argento nocte optatam crucem efficit. Cùm autem operi finem daret. mox apparent tres imagines cum inſcriptione trium nominum: ſuperne *Emanuel,* utrimque infra initiis *Michael & Gabriel.* Cum verò vellet expungere, manus eius manebat arida. Sub gallicinium venit Procopius, & adorans crucem, rogat quæ ſint iſta nomina & imagines? Reſpondet Marcus: *Cum abſolverem exorta ſunt; nec novi, nec expungere potui.* Agnovit ergo Procopius virtutem his ineſſe, & in ſuam rediens civitatem, pretioſâ purpurâ involvens hanc Crucem cum adoratione, tactus eſt miles Crucis, ac poſtmodum Martyr.

*Surius S. Iulii, Baronius & alii.*

*Neanius vocabatur poſtmodum dictus Procopius.*

An non tibi videtur hic novus Paulus, qui mox, cælo docente, didicit *Ieſum*, & nunc Crucifixum; Didicit virtutem ſigni eius triumphalis, ſibi in nocte apparentis, ſed noctem erroris ab oculis ſuis cæcis fugantis. Didicit illum eſſe *Emanuelem*, hoc eſt, *Deum noſtrum, & Nobiſcum Deum*, qui in cruce pependerat, ut cælum & terram conjungeret, & ut ſimul Deum & Hominem, Angelumque cum homine confœderaret. Ideo in alis crucis apparuit *Michael & Gabriel*, quod interpretamur: *Quis ut Deus; Fortitudo Dei.* Et hi fuere præcipui miniſtri Emanuelis, Gabriel incarnationem annuncians, Michael in Paſſione eum confortans. Propterea & infidelis ille Marcus numquam è cruce delere potuit nomen Emanuelis, nec nomen Michaelis, aut Gabrielis, ſicut nec *Iudæi* perfidi nomen *Ieſu Nazareni, Regis Iudæorum.*

Hic certe Titulus eſt, quem Jacob, qui *exſpectabat ſalutare Dei*, in ſpiritu adorabat, dum in extremis penè conſtitutus converſo ad Orientem vultu, *adoravit faſtigium virgæ Ioſeph.* Illa enim virga, Chriſti crucem, quaſi Regiam *virgam virtutis eius*, in typo repræſentabat; & faſtigium eius Tabellam verrici affixam ſignificabat, cui oſculum & venerationem labens exhibebat, quaſi expetens illud: *Expectabo ſalutare tuum Domine.* Hoc eſt, *Moriar in fide tua, imo & in oſculo tuo, O Ieſu Rex Nazarene. Rex meus, & progenies mea!*

*Heb 11. Crux Chriſti virga Ioſeph & virga virtutis.*

*Hen. 49.*

Hic rurſus eſt Titulus Diademati & Vertici eius ſuperpoſitus, in quo gloriatur, in quo & nos ſecum vult gloriari. De illo in figura dictum eſt: *Magnificentia illius in Diademate capitis eius.* De illo etiam unicuique dicit, ſicut & quondam B. Egmundo; *Hoc erit decus, & memoriale tuum. Hoc mihi nomen in æternum.*

*Sap. 18.*

*In vita S. Egmũdi.*

Denique, hic eſt Titulus qui cœlo & terræ perẽnabit glorioſus: cui Reges ſceptra. Imperatores diademata, Pontifices tiaras, Principes purpuram, Bellatores arma, Nobiles ſua ſubſternent inſignia. *I*mò Angeli & Seraphim illum adorabunt Titulum, idque in æternum, & Tartarei ſpiritus ad illum contremiſcent: *Concluſiſti & ſignaſti abyſſum terribili nomine tuo.*

Legamus ergo & nos hunc Titulum devota cũ meditatione; illumque noſtris imprimemus cordibus, ut ſit nobis ſcutum contra tentationes,

*Manaſſes in oratione ſua.*

omnemque inimici potentiam, ſimulque ſit *Decus & memoriale noſtrum* Agnoſamus verè *Ieſum*, hoc eſt verè Salvatorem. Orbiſque totius Redemptorem. Ideo enim in Cruce pendet, ideo ſanguinem fundit ut hanc *ſalutem operetur in medio terræ* Agnoſcamus & *Nazarenum*, hoc eſt floridum, ornatum, coronatum, omni decore floreque virtutum fulgidum.

*Cant. 2.*

An non ipſe de ſe dicit: *Ego flos campi & lilium convallium?* Ecce flos in campo patēti, ad quem nemini acceſſus prohibetur. Ecce Flos florum, qui omnium in ſe florum perfectionem continet: Flos qui multos flores eſt producturus, Roſas Martyrum. Lilia Virginum, Violas Sanctorum.

*Amb. l. 2. de ſpirit. S. c. 5.*

Ecce *Flos, qui odorem ſuccisus reſervat, & contritus accumulat, nec avulſus amittit, qui & mortuis æternæ vitæ odorem exhalat* Flos ergo iſte Regius omnia florida facit, omnia complet odore: etiā ſpinas, etiam crucem facit amabilem, ita ut de hac dixerit Sponſa odore eius attracta: *Lectulus noſter floridus.* Ipſius etiam odorem iam à longè perſenſerat Iſaac, dum dicebat: *Ecce odor filii mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.*

*Gen. 27.*

*Chriſtus lilium Convallium.*

Lilium eſt convallium, ab altiſſimo cæleſti Paradiſo in hanc noſtram vallem tranſplantatum. Ipſe eſt inſtar lilii humana natura candidus, divina aureus, prædicatione odoriferus, charitate expanſus, humilitate recurvus. O lilium omnibus ad odorandum expoſitum. Lilium infinitæ virtutis, cuius ſplendore fugantur tenebræ, cuius contactu ſanantur languidi, cuius odore ſuſcitantur mortui, cuius amore attrahuntur omnes pii. Non verentur hi ad eum accedere, etiam inter ſpinas. Agnoſcamus denique, non ſolum *Nazarenum*, hoc eſt floridum; ſed eſſe etiam fateamur Regem noſtrum, hoc eſt *Regem Iudæorum & Iſraelitarum*, ſive credentium & confitentium. Si vere ſimus Filii Abrahæ & Iſraelitæ, ipſe eſt Rex noſter: noſque hic regere optat per ſpiritum gratiæ ſuæ, & dominari in cordibus noſtris, tandemque in ſocietatem regni aſſumere.

*Cur Chriſtus inter duos medius pendere non abnuat.*

Neque negandum putes hunc Regem eſſe, qui inter ſceleratos reputatus eſt, & inter duos latrones pendet medius? āquam Princeps eorū. Quia ipſe quidem inter impios pendere non abnuit, pro quibus mori deſiderabat: & ideò inter ſceleratos annumeratur in terris, ut Angelorum cœtui nos inſerat in cœlos. Ipſe inter duos facinoroſos pēdet, ſed an ut facinoroſus? Imò ut Iudex ſedet medius, uni miſericorditer donans vitam & veniam, alteri æternæ mortis decernens ſententiam. Atque hic iudicii futuri formam demonſtrat, in quo bonos à dextris, impios à ſiniſtris collocabit, ut docet S. Leo, & alii, SS. Patres.

Non etiam myſterio caret quod addit S. Ioannes: *Milites cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius & fecerunt quatuor partes, unicuiq; militi partem.* Erant ergo quatuor milites eum crucifigentes, ait S. Auguſt. & multi quatuor etiam clavos infixos putant, ut quiſque ſuum infixerit. Acceperunt & *tunicam quæ deſuper contexta erat per totam, & inconſutilis?* nec diviſerunt eam, ſed ſortem miſerunt, ut impleretur Propheti *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.*

*Pſal. 21.*

Hanc inconſutilem tunicam à B. Virgine contextam tradit Euthymius, immò & cum Chriſto creviſſe creditur, Sic & creverunt cum Iſraelitis veſtes quadraginta annis quibus duxit eos Dominus per deſertum, nec attritæ fuerunt. *Itaque* quaſi ſpolia Regis victi ſibi dividunt hi milites cum laſcivia & illuſione, & partes mittunt cum ſubſannatione. Hi autem ſunt primi duces noſtrorum Aleatorum, qui ſæpè cum convitiis & blaſphemiis huic luſui vacant, dum ſua perdunt cum impatientia. Hinc illud: *Ludens taxillis, vide bene quid ſit in illis* Attendant & illud: *Væ qui ponitis fortunæ menſam, & libatis ſuper eam.* Sed de his alibi.

*Tr. 118.*

Myſterium porrò dicimus contineri in hac diviſione veſtium, & in tunicula inconſutili integra permanente. Nam S. Auguſtinus quadripartitam illam veſtem dicit ſignificare Eccleſiam per quatuor orbis partes diviſam. Tunicam verò inconſutilem, fidei in omnibus unitatem, quam fruſtrà conantur ſcindere hæretici, nec partem in ea habent, quia ſorte fit ut unus eam poſſideat.

*In diviſione veſtium, & tunica inconſutili myſteria varia.*

Paulò aliter S. Cyrillus l. 12. c. 32 qui dicit in hoc ſignificari, quatuor orbis partibus ad fidem reductis Chriſti carnem indiviſibiliter & impartibiliter cōmunicari in Euchariſtia. Diviſio ergò veſtimentorum partes orbis ſignificat, Tunicæ integritas carnem Chriſti indiviſam & impartibilem communicatam ſignificat. Illa eſt contexta per totum virtute Spiritus ſancti ex puriſſimo ſanguine beatiſſimæ Virginis. Vlterius hic aliqui deſignari volunt unum eundem theſaurum opum & meritorum Chriſti per omnes partes orbis diſtributum. Denique, alii per veſtimenta humanitatem ſignificari volunt, ideò veſtimenta in plurali dicuntur, quia humanitas corpus & animam continet. Hæc ſecta ſunt, quia in humanitate paſſus eſt, in corpore & anima. At per Tunicam, quæ eſt primum & interius indumentum, volunt ſignificari eius divinitatem, quæ non admiſit partitionem, quia paſſio non pervenit ad divinitatem.

*Chriſtus variis modis blaſphematur.*

His peractis, Chriſtum multi prætereuntes blaſphemabant, & cum non haberent amplius quo corpus cruciarent, linguis excruciare non deſierunt. Primò quidem Judæi moventes caput ſacrilegum cum irriſione dicebant: *Vah! qui deſtruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas illud, ſalva temetipſum Si Filius Dei es, deſcende de cruce.* Ecce Filii Diaboli imitantur Patrem ſuum, qui ſimiliter dixerat: *Si Filius Dei es, mitte te deorſum.* Vtrobique maligna ſuggeſtio. Nec enim, quia Filius Dei erat, deſcendere debuit de cruce, ſed uſque ad mortem in illa permanere, ut ſuperando mortem illud adimpleret: *Ero mors tua, O mors,*

*Oſeæ. 13.*

Nec deſcenſu de cruce, ſed aſcenſu de ſepulchro [illegible]

Matt.12. ſe Filium Dei debebat oſtendere. Si adhuc *generatio prava & adultera ſignum quærit; non ei dabitur ſignum niſi Ionæ Prophetæ.* Hinc S. Leo ſic eos alloquitur: *De quo erroris fonte Iudæi talia blaſphemiarum veneni potaſtis? Quis vobis Magiſter tradidit, quæ doctrina perſuaſit, illum Regem Iſrael credere, aut Filium Dei, qui ſe crucifigi non ſineret, aut à confixione liberum corpus excuteret? Non hoc vobis legis teſtimonia; aut Prophetarum ora cecinerunt. Non legiſtis, Dominus deſcendit de cruce, ſed Dominus regnavit à ligno.* Hæc S. Leo. Addit S. Hieronym. in eandem ſententiam. *Quid plus eſt, de cruce adhuc viventem deſcendere, an de ſepulchro mortuum reſurgere? Reſurrexit, & non credidiſtis; & ſi deſcenderet, non crederetis.*

2. Non ſolum Iudæi de communi plebe hæc blaſphemabant, ſed & Principes Sacerdotum cum Scribis & Senioribus, dicentes ad invicem cum irriſione: *Alios ſalvos fecit; ſeipſum non poteſt.* Quibus dicimus: Si alios ſalvos fecit, non debuit ut malefactor puniri, ſed ut benefactor remunerari. Ecce nihil ei poteſtis improperare, ô impii, niſi quod ſanctum eſt & divinum, mortuos ſuſcitaſſe, ægros ſanitati reſtituiſſe, mira operatum eſſe: an non magis id congruit eius exaltationi, quam opprobrio; Si alios ſalvos fecit, potuit & ſeipſum, ſed noluit ſe ſalvum facere, ut alios ſalvos faceret, lytrum pro eis ſolvens, & in victimam ſe offerens.

3. Milites quoque ei improperabant, alludẽtes ad titulum Pilati: *Si tu es Rex Iudæorum, ſalvum te fac.* Denique & latrones, aut ſaltem unus illorum, eum blaſphemiis afficiebant. Ecce quomodò Chriſtus pro nobis factus eſt *in ſignum cui contradicitur* & quaſi *ſignum ad ſagittam* omnis impiæ linguæ. O admirandam patientiam, inter blaſphemias pendentis in cruce, cui acclamatur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus* in cæleſti ſede.

## LECTIO XIII.

### De Septem Christi Verbis in Cruce.

*Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.*

De Primo Verbo. *Septem ſonos in Cruce Chriſtus edidit. Primus eſt cõpaſſionis & miſericordiæ.*

CHriſtus velut Cythara aut Lyra ſonora in Crucis ligno diſtentus fuit, membris nervisque omnibus protenſis chordarum inſtar: ideo ſeptemplicem ibi edidit ſonum, piis auribus animiſque attentis excipiendum.

Primus ſonus fuit compaſſionis & miſericordiæ erga ſuos crucifixores, *Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt.* Non habet ubi qui ſcat in hoc duriſſimo crucis lecto, anguſtiis & doloribus undique contectus. Oculos interim in cælum erigit ſanguine & lacrymis madentes, vocemque ad *Patrem* dirigit: non ut ignem de cœlo advocet, ſuæ ultorem iniuriæ ac necis crudeliſſimæ; ſed ut illum ſuis potius extinguat lacrymis, & pia prece. Non ſuam ſentit injuriam, non attendit pœnam: ſed his à quibus patitur, compatitur; à quibus vulneratur, medetur, vitam procurat à quibus occiditur; orat pro eis, non petit ultionem: *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam:* Nõ habet alia arma, ut ſe ulciſcatur, niſi ipſam charitatem. In lectulo amoris conſtitutus, ſuiipſius oblitus, propriæ vitæ ſalutem lubens præfert aliorum, puro amore eorum, ideo inclamat: *Pater ignoſce illis*, Habent emphaſim ſingula verba. Idem enim eſt, ac ſi dicat: Pſ.108.

*Emphaſis verborũ Pater ignoſce illis varia.*

1. Non clamo ad te, ut ad ſeverum Iudicẽ; ſed invoco, ut benigniſſimum Patrem: & per Paterni nominis ſuavitatem, perque amorem & obedientiam, quam tibi exhibeo ut Patri, obſecro, *Pater ignoſce illis.* 1.

2. Sanguis Abel quondam ad te clamavit. Vindictam advocans è cœlo & Iuſtitiam: Sanguis meus implorat Miſericordiam; *Pater ignoſce illis.* 2.

3. Spinæ verticis mei, Clavi manus pedeſque transfigentes, ſingulaque corporis mei Vulnera, tot ſunt linguæ, totque ora aperta, quæ ſublimiter ad te clamant; *Pater ignoſce illis.* 3.

4. Lacrymas offero in compaſſionem, dolores in ſatisfactionem, ſanguinem in ablutionem, animam & vitam in pretium & redẽptionem: & hæc omnia eandem hanc vocem repetunt; *Pater ignoſce illis.* 4.

5. Appello à ſententia crudelis vindictæ, quam ſuper ſe pronuntiarunt, dum dixerunt: *Sanguis eius ſuper nos.* Hanc cupio reſcindi in Throno tuæ miſericordiæ, ut ſit ſanguis meus *Sanguis fœderis, quo Moyſes aſperſit populum*, non ſanguis ultionis: & ideo hanc vocem emitto? *Pater ignoſce illis.* 5. Exod.24.

6. Eho pro illis ex amore patior, tu mihi & illis tota benignitate compatere: & licet needum tibi ex imo cordis pœnitentiam offerant, ego pro illis gemitus & ſuſpiria ex præcordiis educo, quæ ſingula dicunt, *Pater ignoſce illis.* 6.

7. Ego pro me oravi in Horti anguſtiis conſtitutus ut transferret à me *Calicem paſſionis*, ſed ſub conditione rogavi. Nunc abſolutè obſecro, ut ab eis auferas *Calicem damnationis*: quia hæc eſt vox pleniſſimæ meæ & extremæ charitatis; *Pater ignoſce illis.* 7.

8. Hodierna dies, remiſſionis eſt dies, tempus univerſalis Iubilæi, hora ſacrificii valoris infiniti, hora redemptionis copioſæ, ſolutionis perfectæ, dies triumphi mei quo parcendum eſt reis, dies quo aperiuntur Fontes ſalutis. Omnia hæc tibi continua reſonant voce. *Pater ignoſce illis.* 8.

Grandis porrò petitio, ut Pater obliviſcatur, & non puniat necem vicini Filii ſui. Sed ipſe Filius petit, ipſe Sacerdos, ipſe Victima. Clamant ad Patrem vulnera, dolores, ac omnia membra. Clamat humilitas, patientia, charitas. Hæc omnia prævalent, & plus ponderant, quam eorum iniquitas apud Patrẽ. Imperat ergo Filius, quia prima petitio,

eſt in cruce effecta. Pater enim vi huius orationis ſapetuit fontes miſericordiæ, & omnibus volentibus reverti remiſſionem obtulit, & donum ſpecialis gratiæ.

*Effectus varii primi verbi Chriſti.*

1. *Primo*, hinc factum eſt, ut multi reverterentur percutientes pectora ſua. Nam & Centurio, & Latro, & multi cum illis vi hujus orationis obtinuerunt gratiam compunctionis & remiſſionis, ipſo abluti ſanguine quem fuderant; quia factus eſt eis *Sanguis propitiationis*, intercedente hac voce Mediatoris.

2. *Leo, ſer. de Paſſ.*

*Secundo*, vi huius orationis multa millia crediderunt in die Pentecoſtes, teſte S. *Leone* ſic dicēte: *De virtute huius orationis factum fuit, ut prædicatio S. Petri Apoſtoli ex his qui dixerunt, Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros multorum converteret corda ad pœnitentiam & una die baptizarentur tria millia, fieretque omnium cor unum & anima una paratorum pro eo mori quem popoſcerant crucifigi.* Ita S. Leo.

3. *Cypr. ſer. de Paſſ.*

*Tertio* dicit S. Cyprianus, propter hanc orationem dilatum fuiſſe per quadraginta annos ſupplicium *Iudæorum*, ut poſſent pœnitentiam agere, & conſequi remiſſionem.

4. *Quarto*, hæc oratio impedivit creaturas omnes, ne mox ſe erigerent ad vindicandam necem impiiſſimè Creatori inflictam.

*Cur ignoſci petat Chriſtus ipſuſmet habens poteſtatē ignoſcendi.*

Sed numquid Chriſtus habebat poteſtatem ignoſcendi? Cur ergo non dicit ſicut Magdalenæ, aut Paralitico: *Remittuuntur vobis peccata*? Reſpondet S. Chryſoſtomus. Dixerat quondam, *Orate pro perſequentibus vos*; id Crucem aſcendens facit, ut & pro illis doceat nos orare, non ſolùm verbo, ſed & opere. Ergo hunc fructum ſugamus ex hac oratione:

De hac re ſic loquitur B. P. Damiani. *In ligno, ſpinis, clavis, lancea affixus & crucifixus, diſſimulat illum unicum dolorem, & obliviſcitur mortis vicinæ: novum introducturus exemplum, aperit latitudinem charitatis, & apertiori campo terminos traditæ legis amplificat, non iam ſolùm amicus amicis ſed velint nolint amicus pariter inimicis Non potuit inefficax eſſe oratio morientis: unde & inimicorum numeroſitas tranſivit ad numerum amicorum.* Hæc B. Petrus Damiani ſerm. de S. Stephano Nempè & hoc exemplum Chriſti imitatus eſt Stephanus, *Iacobus* Apoſtolus, Paulus, & alii Martyres, qui etiam in morte conſtituti orarunt pro ſuis perſecutoribus non ſine efficaci converſione eorum. Hæc eſt enim propria virtus ſanguinis Chriſtiani, animis inimicorum veniam implorare; ex imitatione ipſius Chriſti, qui pro ſui ſanguinis mercede converſionem inimicorum petiit à Patre.

*2. Paral. 24.* *4. Reg. 2.*

Procul ergo à Chriſto *Ieſu* vox illa ſanguinis Zachariæ, VIDEAT DOMINVS, ET REQVIRAT. Procul ſeveritas Eliææ, urſos immittēntis in pueros ſibi inclamantes. *Aſcende calue.* Procùl rigor Eliæ, ignem de cœlo evocantis ſuper quinquaginta milites, & eorum Ducē, quia dixerat: *Homo Dei, Rex præcepit, deſcende.* Longè graviora opprobria & maledicta in Filium Dei jactantur, & cum ludibrio & conſultatione dicitur ei: *Deſcende de Cruce.* At his convitiis hanc vicem rependit, hancque vocem: PATER IGNOSCE. Legem perfectæ charitatis inſcribit Tabulæ Crucis, & ideo nō invenies in ea aliud ſcriptum in quatuor eius partibus; quam illud *IGNOSCE ILLIS*: Sive reſpicias ſupra, ſive infra, ſive à dextris, ſive à ſiniſtris, illud ubique legere poteris exaratum lachrymis & ſanguine, *IGNOSCE ILLIS*: ut & tu diſcas ignoſcere, atque ut tibi ignoſcatur humiliter expoſcere. Hoc inſcriptū gerunt manus, hoc pedes hoc latus, hoc facies, hoc oculi hoc cōcinni verticis, hoc lingua divini ſui oris. Nunc ergo apertius declaratur quod olim Eliæ in monte præoſtenſum fuit *Non in commotione Dominus, non in petrarum confractione, non in igne ſed in ſibilo auræ tenuis, in ſpiritu & voce lenitatis & amoris.* Operiat pallio & pudore vultum ſuum, quiſquis adhuc agitatur ſpiritu vindictæ, audiens vocem hanc Chriſti Domini in Cruce Ecce ipſe ſtat, inſtar Moyſis, *in confractione, in conſpectu Dei* & Patris, toto confractus corpore, *ut avertat iram eius*, quam in ſuum caput accerſit, quiſquis cupit ultionem, confractus corde.

*4. Reg. 2.* *3. Reg. 19* *Pſ. 105.*

De ſecūdo Verbo.

*Secūdus ſonus eſt ſuavis & gratioſus*

SEcundus ſonus eſt iſte: *Hodiè mecum eris in Paradiſo*, Sonus utique ſuauis & gratioſus peccatores omnes ad divinæ gratiæ thronum accedētes concernens & animans. Hic enim Chriſtus manifeſtum omnibus voluit, nullius peccatoris ſeram eſſe pœnitentiam, ſi ſeria ſit: *Non arctatur numero, non clauditur fine, nullas habet metas divina Clementia; ſit qui pœniteat, non deerit qui indulgeat. Non huic pœnitenti multorum annorum ieiunia imponuntur, non ſacco indui iubetur aut cilicio, ſimul & confitetur, & iuſtificatur, & glorificatur. Multa antiqua peccata illico abolet gratia, nec proceſſu mora que temporis indulgentia limat colliditque culpæ rubiginem: Sed ſtatim Spiritu Sancto illabente ſiccatur fœda tabes, nec ullum ſupereſt fœditatis veſtigium vulneri, quod miſericordiæ abluit lavacrum.* Tria igitur hic obſervatione digna ſunt.

*Abbas Arnaldus l. 6. Biblioth. SS. Patrum.*

NOTA. I *Magnam latronis fidem.*

Primum eſt Latronis fides & converſio admirabilis. Fides quidem, dum dicit: *Domine memento mei dum veneris in regnum.* Pondera ſingula. *Dominum* vocat; quem tanquam maleficum videt pendentem in infami patibulo, ſpinis & clavis miſerrime confixum. *Regem* agnoſcit, quem videt in cruce morientem, cujuſq; regnum ab omnibus cernit irrideri & ſannis excipi. Salutem ab eo ut Rege poſtulat, quem infirmum intuetur, & cui cum illuſione & opprobrio dicitur: *Salva temetipſum.* Deniq; agnoſcit Regnum *Ieſu non eſſe de hoc mundo*, ſicut dixerat Pilato, ſed eſſe ſupra mundum & cœleſte omninò, nec illius conſortium dari in hac vita, ſed aliam eſſe vitam poſt hanc, in qua illo fruendum ſit. Itaque inſigniorem notitiam

habet

Habet de Regno Dei, quam Apoſtoli, qui temporale aliquod Regnum Chriſti expectabant. Firmiorem quoque fidem habet, quia eum Regem & Dominum, Deumque confitetur, dum negat eum Petrus, Judas vendit, diſcipuli fugiunt, non auſi confiteri. Sic teſtis eſt maieſtatis, ſocius licet calamitatis; & palam profitetur Regem, quem cernit ſupplicii ſui conſortem. Cum fide autem grandis ſpes jungitur & fiducia, dum ab eo expectat ſalutem, qui ad extremam adactus eſt neceſſitatem; dumq; poſt totam vitam in lattociniis exactam in vitæ extremo, & quaſi in inferni faucibus exiſtens, nihilominus ſperat. O magnam fidei ſpeique vim etiam in extremis! Pateſcit quoque perfecta converſio & pœnitentia cum humilitate coniuncta. Non enim audet petere regni conſortium, ſed cum humilitate & contritione cordis dicit; *Memento mei*, ut vel ſaltem particeps fiam micarum cadentium è menſa tua, inſtar catelli, dum aſſederis regiæ menſæ tuæ in regno tuo. Simul confitetur delicta ſua, dum ſe digna factis recipere prædicat; odiumque peccati, tum ſui, tũ alieni, oſtendit, dum redarguit ſocium impœnitentem: ipſe verò in partem pœnitentiæ lubens crucem patitur, & defendit gloriam & innocentiam Domini: *Hic nihil mali geſſit.* Quæ quidem defenſio ex Chriſti amore proceſſit. Quid ultrà ad veram pœnitentiam requireremus? Quinin ò ex ſententia S. Cypriani S. Auguſtinus vocat eum Martyrem, l. 1. de anima c. 3. ubi ait: *Latro ille non ante crucem Domini ſectator ſed in cruce confeſſor, de quo præiudicium quandoque captatur contra Baptiſmatis Sacramentum, à S. Cypriano inter Martyres computantur, qui ſuo ſanguine baptizantur. Tanto namque pondere appenſum eſt apud eum qui hoc novit appendere, quod confeſſus eſt Dominum crucifixum, quantum ſi fuiſſet pro Domino crucifixus. Tunc enim fides eius de ligno floruit, quando diſcipulorum marcuit. Illi enim deſperaverunt de moriente, ille ſperavit in commorientem. Doluerunt illi tanquam hominis mortem, credidit ille regnaturũ poſt mortẽ.* Hæc S. Aug. Sed quicquid ſit hac de re, an baptizatus fuerit baptiſmo ſanguinis, quia non fuit baptiſatus, baptiſmo fluminis, qui necdum erat neceſſarius; baptizatum rectè dixeris baptiſmo flaminis, hoc eſt, gratia Spiritus S. qui ubi vult ſpirat, & cõpunctionem ingenerans, omnia crimina mox ſuo abolet abluitque lavacro.

*Latro hic maiorem fidem habet quam Apoſtoli.*

*Perfectè latro cõvertitur*

*Latro an baptizatus.*

Sed quæres, undenam occaſio Latroni adeo ſubitæ converſionis, & tãtæ fidei? Reſpondet S. Vincentius Ferrerius, ipſum ad dextram fuiſſe Chriſti collocatum verſus Aquilonem, & ideo in meridie umbram corporis Chriſti obumbraſſe illũ, & virtute illius excitatũ fuiſſe ad converſionem. An nõ umbra Petri ſanabat ægros? Quidni & Chriſti umbra ad converſionem inducere poſſet impios, de quo ſcriptum eſt: *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris, cui diximus: In umbra tua vivemus in gentibus.* Huc etiam applicari poſſet illud, *Domine, Domine, virtus ſalutis meæ, obumbraſti ſuper caput meum in die belli.* En gratiarum actio pro felici obumbratione. Additur autem ibidem: *Dixi Domino, Deus meus es tu, exaudi Domine vocem deprecationis meæ.* An nõ hæc vox deprecationis; *Memento mei dum veneris in regnũ tuum?* Certè non defuit huic latroni obumbratio, ſaltem interna efficaciſſima, ab illo qui extendit alas in cruce, in die belli, ut ſub velamento illarum colligeret pullos ſuos ſicut Gallina, & illos vivificaret ſicut Pelicanus, non ſolum pennas extendens, ſed & ſanguinem fundens. O felix umbra, ſub qua vivit, quicumque vivit! De hac etiam ſcriptum eſt: *Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis eius ſperabis.* Sed dicamus cum SS. Patribus commotum fuiſſe hunc latronem, viſa inaudita Chriſti patientia, qui cum malediceretur non maledicebat, cùm pateretur non comminabatur, ſed ut Agnus manſuetiſſimus ſe in victimam offerebat; viſa quoque in hoſtes charitate & benignitate admirabili, ac audita eius oratione qua Patrem pro illis lachrymis deprecatus eſt: *Pater ignoſce illis.* Hæc omnia eius commovere potuerunt viſcera, Chriſto tamen ſpecialiter operante, & illuminante interiùs. Quapropter hac de re ſic rectè quidam ex ſacris Scriptoribus. *Hæc repentina mutatio eſt dexteræ Chriſti, ad quam illi pendebat. Hanc fidei lucem non aliunde accepit, quàm ex lumine illo in candelabro crucis poſito. Diu quidem hoc divinum lumen ſub humanitatis modio latuit: ſed nunc demum in crucis candelabrum ſublevatum eſt, ut quotquot in Eccleſia domo ſunt, hinc illuminentur. Sciderunt hunc modium Iudæi pluribus in locis, & cepit lumen per rimas effundi; ita ut domus tenebroſa quæ propè erat, ex radiis illius illuſtrata fuerit. Planè lucebat & ardebat hic ignis ille quem Dominus venit mittere in terram*, & miſericordiæ perfuſus oleo, *probriſque & blaſphemiis Iudæorum, ceu flatu quodam agitatus, flammas dabit in cœlum, quibus Latro iſte totus accenſus eſt, & velut ſuorum immemor cruciatuum totus erga Dominum compaſſione commotus.* Hæc ille.

*Vnde latroni tã ſubita cõverſionis & fidei occaſio.*
Reſp. 1.
*Thren. 2.*

*Pſal. 139.*

*Pſal. 90.*
Reſp. 2.

*Bloſius Marg. ſpiriti ſpirit. c. 16.*

Secundum hic eſt notatione dignum, ut obſervat S. Ambroſius, *Dominum ſemper plus tribuere, quam rogatur.* Rogat ille ut Chriſtus memor ſit aliquando ſui, cum veniſſet in regnum ſuum. Dominus nõ poſt aliquot dies id pollicetur; ſed *hodie* inquit; nec tantum ſe memorem fore dicit, ſed aſſerit ei conſortium regni & viſionem gloriæ ſuæ per Paradiſum ſignificatam. O benignitas admiranda! Is qui mutus erat & ſurdus ad convitia, aperit hic aures oſque ſuum, & precantem tali ſignum judicat promiſſo, quali necdum quempiam honorarat, uberiorem offerens gratiam, quam petebatur. *Quid amplius*, inquit Cyprianus; *Stephano contuliſti? Quid amplius Pauli meruere ſudores? Quid labores Sanctorum? Quid tot annorum tormenta? Vna hora collatum eſt ei premium, ad quod illi per tot diſcrimina pervenerunt.* Qui tulerunt pondus

*NOTA. Deus ſemper plus tribuit, quam rogatur.*

dici & æſtus necdum ſunt ingreſſi, qui undecima venit horâ, ingreditur. Nempè oportunè acceſſit, quando Flammeus Gladius à Paradiſo removebatur; quando Scala Crucis erecta erat, qui aſcendebatur in Cælum: quando Clavis David portas omnes & omnia impedimenta reſerabat. Immò ingreſſus eſt per feneſtras ſapiens Latro, quia illæ jam apertæ erant; per vulnera aſcendit Salvatoris, & duplicem rapuit theſaurum, præſentis gratiæ, & futuræ gloriæ. Aut ſi mavis, ipſe prima præda fuit Chriſti cui nomen apud Prophetam eſt, *Velociter ſpolia detrahe, feſtina prædare*; prima, inquam præda in cruce. Quia de Chriſto in crucem aſcendente prædictum erat: *Catulus Leonis Iuda, ad prædam aſcendiſti Fili mi*. O felix præda! O felix prædo! Hæc eſt prima gloria Crucis, Latronem non ſolùm facere conſortem gloriæ regni, ſed & primum deſignare poſſeſſorem: *Ab illa altitudine præmium fidei datur in qua chyrographum humanæ tranſgreſſionis aboletur*, inquit S. Leo, *& promiſſio illa non tam de ligno Crucis quàm de throno editur poteſtatis*. Is qui antea precabatur ut homo Patrem pro peccatoribus, nunc tanquam Deus, non ſolum condonat peccata, ſed ſuum etiam donat Paradiſum, & divinæ gloriæ conſortium.

*Latro prima Chriſti præda. Iſa. 8. Gen. 48.*

NOTA. 3 *Vnus è duobus ſalvatur &c. Rom. 11.*

Tertiũ notatu dignum eſt, quod unicus è duobus ſalvatur, imo inter tot ibi exiſtentes uni tantum dicitur: *Mecum eris*. O altitudo divitiarũ ſapientiæ & ſcientiæ Dei, *quàm inveſtigabiles ſunt viæ eius*! Ecce ibi Tribunal Iudicis, unus ſalvatur, figura electorũ; alter reprobatur, figura damnandorum. Ecce *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto*, & inclinans ex hoc in hoc. Latroni uni porrigit dulcem ſalutis potum, alteri damnationis liquorem de fæce peccatorum. Ecce Joſeph inter duos ſocios, quorum unus educitur ad ſuſpendiũ, alter ad regium epulum. Ecce verum eſt. *Duo erũt in lecto, duo in agro, unus aſſumetur, alter relinquetur*. Nemo ergo præſumat; ſed nemo etiam deſperet.

*Pſ. 74. Gen. 40. Mat. 24.*

Semei occurrit Davidi in die victoriæ, & ait: *In die qua egreſſus es, Domine mi Rex, de Ieruſalem, agnoſco ſervus tuus peccatum meum; & ideo primus veni in occurſum Domini mei Regis*. Maledixerat ipſe prius Davidi, ſed nunc benedicens conſequitur veniam, ob diem trophæi; ſed ſolũ ad tempus, quia eum per Salomonẽ iuſſit poſtmodum David puniri. Maledixerat & hic Chriſto, ſecundum nõnullorum ſententiam, cui non parum favet Evangelicus textus in plurali dicens, *Blaſphemabant eum latrones*. Sed mox agnoſcens peccatum ſuum, venit in occurſum Regis & Domini ſui primus; & ideo meretur veniam & gratiam, non ſolùm ad tempus, ut Semei, quia *Miſericordia & veritas Domini manet in æternum*: non ita hominum, quia & de his conqueritur Dominus: *Miſericordia veſtra quaſi nubes matutina, & quaſi ros manè pertranſiens*.

*3. Reg. 19. Oſee 6.*

*De tertio Verbo. Tertius Chriſti in Cruce ſonus V. Matri doloroſus.*

HIc eſt tertius noſtræ Cytharæ ſonus: *Dicit Matri ſuæ, Mulier, ecce Filius tuus. Deinde dicit diſcipulo: Ecce Mater tua*. Sonus utique Matri & Filio doloroſus, qui utriuſque animã pervaſit, quaſi gladius biceps & bis acutus. Aderat ibi Mater, dolores Filii cõſiderans, fixis in eum corporis & animæ oculis, modò ſacrũ caput ſpinis transfixum; modò cruentos pedes; modò manus benedictas; clavis perforatas; Singulaque vulnera, tot cordis eius erant vulnera peracerba, quia, teſte S. Bonaventura, in corde ipſius erant unita, quæ per corpus Filii erant ſparſa. Ibi ergo cor eius fuit flagellis conſciſſum, clavis penetratum, ſpinis confixum, lancea vulneratum. Ibi viſcera materni omni fuere amaritudine repleta, ita ut poſſet dicere: *Nolite me vocare Mariam*, hoc eſt inſtar ſtellæ lucidam; *ſed vocate me Mara*, hoc eſt amaritudine plena. *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me abſynthio*.

*Thren. 3.*

*Afflictã videre matrem Chriſto acerbiſſimo dolori erat.*

Porrò erat dolor etiam acerbiſſimus Filii, videre ſic afflictam Matrem. Convertit ergo oculos ad eam, ſanguine immadentes, ut contemplaretur faciem eius lachrymis irriguam: immò cor ſuum convertit ad cor eius gladio doloris tranſverberatum. Duplex hic certamen oculorum & cordis in Ieſu & Maria, per reciprocum amorem & intuitum Oculi Ieſu uno eodemque tempore feſtinabant ad mortem, & ſeſe retorquebant ad Matrem. Vis mortis iam eos claudebat ad defectum: vis amoris eos aperiebat ad dilectiſſimæ Matris aſpectum. Illa è contrà plena ſingultibus ſuperfuſa doloribus, corde ad cor loquebatur; & oculos ſurſũ tollebat ad atrocia vulnera, & ad oculos ſanguineo rore fluidos Filii morientis, ſimul & reſpicientis. Sic ſacri amoris certamine ſeſe mutuò vulnerabant, & quaſi ardentibus ſagittis præcordia invicem penetrabant, non ſine acerbiſſimo dolore: *Vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum*.

*Cur dixerit Chriſtus Mulier, & non Mater.*

Dicit itaque Chriſtus ad Mariam converſus: *Mulier, ecce Filius tuus*. Non dicit, *Mater*, quia hoc verbum magis vulneraſſet cor Matris, inquit S. Chryſoſt. aut certe nec ex hoc verbo voluit ipſe ſolatium aliquod accipere. Deinde hoc verbo, *Mulier*, ſignificat ipſam eſſe Mulierem illam per excellentiam, de qua in Geneſi: *Inimicitias ponam inter te & Mulierem; de qua* etiam Salomon: *Mulierem fortem quis inveniet? Non extinguetur in nocte lucerna eius*. An non id de Maria verum eſt? Mirabilis interim mutatio, dum pro Filio Dei ſubſtituitur ei Filius hominis, pro Domino ſervus, pro Magiſtro diſcipulus, cui etiã dicitur: *Ecce Mater tua*. Atque hic quoque myſterium cõtinetur, quia nos omnes in perſona huius diſcipuli Mariæ à Chriſto commendamur ut Matri; omnibus nobis ab eo dicitur: *Ecce Mater tua*.

*Gen. 3. Prov. 31.*

*S. Ioanni per verba Chriſti adoptiva contigit filiatio.*

Hoc quoq; notãt SS. Patres, quod Ioanni ſpecialiter per illa verba adoptiva filiatio contigerit, ita ut Chriſtus divinam quandam virtutem his verbis

con-

contulerit, ut imprimerent cordi Virginis ſingularē quendam amorem maternum in Ioannem, fortiorem quàm natura matribus inſerit: & reciprocè viſceribus Ioannis reverentiam filialem, qualem nec naturales Filii ſortiuntur: Arnoldus Abb. lib. 6. Bibb. SS. PP. *Transfunditur in Ioannem filialis affectus, formaturque, & confirmatur in ambobus pietatis unicæ gratus concorſque complexus, non ex traduce naturæ, ſed ex munere gratiæ.*

*S. Ioannes hæres virtutũ & dolorum* B. M. V.

Sicut porrò Ioannes adoptatione ſpeciali Filius fuit Virginis; ita hæres quoque factus eſt virtutũ eius. & dolorum. Nihil aliud Virgo poſſedit pro divitiis niſi crucem Ieſu, & amorem ardentē, cum humilitate, patientia, puritate eminente conjunctam. Hæc etiam fuit hæreditas Ioannis, hæ ejus divitiæ. Nempe *ſi Filius & hæres.* Si Eliſæus in Filium ſpiritualem adoptatus ab Elia, eius ſpiritum duplicem participavit: ſimiliter & Ioannes ſpiritum Chriſti & Mariæ. Et certè ſingularis eius uſque ad crucem fidelitas, meruit *ut partem haberet extra fratres:* propterea conſtitutus eſt à Domino, Defenſor domus ſuæ, Cuſtos Sacratiſsimi Tabernaculi, Tutor Virginitatis & pudoris Mariæ, Teſtis integritatis, Coadjutor laboris, Conſolator doloris, Conſors pietatis.

*Sic & alii compatientes Ludol.* 2. *p. vitæ.* § *Chriſt. c.* 63.

Huius etiam pietatis conſortes ſunt, quicumq; cum ea juxta crucem cum compaſſione ſtant. Audi exemplum ex Ludolpho à Saxonica. Extat, inquit ipſe, cuiuſdam Religioſi mirandus hic fervor & devotio in hæc verba: *Ecce Mater tua.* Dum enim hæc mente volueret, ſolitus erat ita in lacrymas ſolvi, ut annos ferè viginti lacrymis perpetuis cõſumeret, quæ ſæpe in potum ei ſerviebant. Vnde quoties memoriam Paſsio Chriſti ſubibat, & pervenerat ad hæc verba, obrutus lamentis has Matri dabat voces: *Ecce Mater, qualiter pendet Filius tuus.* Tum Filio: *Ecce Mater tua lacrymoſa & doloroſa; vide Fili, quomodo ſtat tota derelicta Mater tua.* Hæc Ludolphus.

*Vide Latius Bloſium Mon. nil. c.* 1.

Refert quoque Bloſius Abbas Monil. ſpirit. c. 1. quendam virũ potentem in ſæculo ſexaginta continuis annis nunquam feciſſe bonam confeſſionẽ; at in extremo tandem morbo, urgente S. Brigittâ, & Confeſſarium ſuum ad ipſum mittendo divino inſtinctu, vitæ præteritæ tandem agnoviſſe errorem cum compunctione, & lacrymis, ac integra confeſſione. Sexto exinde die defunctus eſt, de quo poſtea Dominus ad ſanctam Brigittam: *Ille non deſcendit in infernum, ſed venit ad Purgatorium propter contritionem & confeſſionem. Bonitate mea qua uſque ad ultimum punctum expecto hominis converſionem; & meritis Matris meæ, cuius dolori vivens ille compati ſolebat, ſalutem invenit.* Vide ergo quomodò compaſſio erga dolores B. Mariæ proſit ad ſalutem & gaudium ſempiternum. De hac re plura *Lect.* 15. *infrà.*

De quarto Verbo 4. *Sonus*

QVartus ſonus Citharæ noſtræ doloroſus, eſt iſte: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Hæc derelictio non conſiſtebat in hoc quod Verbum reliquerit humanitatem, ut dixerunt hæretici *Eutychiani.* Numquam enim Divinitas ab Humanitate ſeparata fuit, hoc eſt ab anima, vel corpore, etiam in triduo mortis. Si enim conſolationem ſubtraxit in fine, non ſeparavit unionem. Si dereliquiſſe viſa eſt auxilio, hypoſtatico iuncta manſit vinculo. Non etiam hæc derelictio in hoc conſiſtebat, quòd Chriſtus deſperaverit, ut blaſphemat *Calvinus.* Quomodò enim deſperaret, qui ſemper actualem poſſeſſionem beatitudinis tenebat? quique in manus Patris ſpiritum commendabat? Derelictio ergo illa in duobus cõſiſtit.

*Chriſtus in Cruce doloroſus ipſi Chriſti.*

*Derelictio Chriſti in duobus conſiſtit.*

*Primo*, quia permittebat eum Pater tantis tormentis affligi, quaſi non foret Filius Dei. In nulla enim re vel ullum ſolamen poterat reperire. Caput non potuit Cruci inniti ſine novo dolore ex ſpinarum tranſpunctione. Manus & brachia non valebant ſupportare corpus ſine tormentorũ duplicatione. Nec pedes id poterant ſine vulnerum dilatatione. Quapropter undique peraffictus nos ſic alloquitur viatores voce Prophetæ: *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Thre. 1. Ad Patrem autẽ cum lacrymis voce magna inclamat: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſte me?* Quaſi dicat: Omnes Martyres in tormentis ſuis ſolamen aliquod habuerunt, me verò Filium tuum naturalem ſine ullo ſolatio ſic derelinquis? Denegas Filio quod ſervis impendiſti? *Ad te clamaverunt Patres noſtri, & non ſunt confuſi.* Pſal. 2. *Ego autem vermis, & opprobrium hominum*, Vir que dolorum omnium, ad te clamo, & non exaudis? Clamabo tamen, *& non ad inſipientiam mihi.* Clamabo cum Propheta: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam.* Pſalm. 68. Clamabo ut Ionas: *Proieciſti me in profundum, abyſſus vallavit me, pelagus operuit caput meum. Et ego dixi: Abiectus ſum à conſpectu oculorum tuorum: veruntamen rurſus videbo templum ſanctum tuum.* Ionæ 2.

*Secundo*, derelictio in hoc conſiſtit, quòd ipſamet divina natura in Chriſto, reliquit humanam naturam ſine ullo ſolatio, permittens eam in agonia, omnibuſque anguſtiis ab horto uſque ad crucem, in qua ſuſtinebat ipſe omnium Martyrum dolores, & quæcumque electi Dei unquam ſuſtinuerunt. Voluit autem hanc derelictionem exprimere hac ſua voce, ne quis putaret inter tot atrociſſima tormenta eum divina frui conſolatione, qua vel tolleretur, vel minueretur acerbitas. Simul voluit his verbis oſtendere, nullam ex parte ſua eſſe derelictionis cauſam, *Poſuit in eo iniquitates omnium noſtrum.* Nõ ergò in Chriſto ignorãtia, non impatientia fuit; ſed clamat ipſe inſtar parturientis, qua in lecto crucis pariebat filios ſpirituales non ſine vehementia doloris, nemine cooperante ad ſublevamen, ideoque ſinguli filii eius inſigniri poſſunt hoc eodem nomine quo poſtremus filius morientis Rachelis, BENONI ſcilicet, id eſt, *Filius doloris mei.*

*Iſaiæ* 53.

*Cur Chriſtus à Patre derelinquatur.*

Interim, ô benigniſſime Domine, non eſt neceſſe venire Angelum, qui tibi cauſam exponat, cur derelinquaris, aut qui te confortet, ut in horto. Hinc ego expromo, ad conſolationem meam, & adcompaſſionem tui. 1. Hoc factum eſt, ut immenſam charitatem in me declares. Quia ego Deum meum ſæpe dereliqui, elongans me, ideo derelinqueris à Patre ſatisfaciens pro me. 2. Hoc factum eſt, ut per hoc promovearis ne Martyres & electi tui derelinquerentur in tormentis, ſed conſolatione per te abundarent. 3. Hoc factum eſt, ut per hanc derelictionem etiam conſequereris ne unquam nos derelinqueret miſericordia tua, dum ad te clamaremus. Quia dixiſti per Prophetam, *Non vocaberis ultra, Derelicta.* Merear ergo per hoc, Domine, *cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me, nec proiicias me in tempore ſenectutis*, & neceſſitatis; ſed poſſim ſemper dicere: *Miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Ita effice, ut uſque ad ultimum vitæ halitum numquam derelinquam te, poſſimque dicere ſicut Eliſæus Eliæ; *Vivit Dominus, vivit anima tua, quia non derelinquam te.* Sequar te quocumque ieris, etiam per ſpinas, clavos, cruces, per quaſcumque afflictiones. O felix tua nunc deralictio, quæ meam impedit, aut reparat, derelictionem infelicem!

Reſp. 1. Reſp. 2. Reſp. 3. Iſa. 62. Pſal. 70. Pſal. 22. 4. Reg. 2.

Cæterum notat Evangeliſta, Chriſtum ſic inclamaſſe circa horam nonam, atque prius tenebras factas eſſe ab hora ſexta uſque ad horam nonam, Sole retrahente radios ſuos. Hoc fuit ſignum iræ divinæ in abominationem ſceleris Iudaici, in teſtimonium quoque gloriæ illius quem ipſi noluerunt agnoſcere, denique & hic fuit ſymbolum cæcitatis admirandæ eorum, quàm & ipſæ creaturæ inſenſibiles condemnant, compatientes Creatori. Subtrahit ergo ſe Sol; ne lumen tanto ſceleri videretur commodare, ſed illud execrari; ſimulque deſignat illum Solem occidere qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, eiuſque luce mentes Iudæorum deſtituendas eſſe. Sic cæcitas in animis Ægyptiorum externis tenebris craſſiſſimis & oſtenſa fuit & vindicata. Veriſimile autem eſt in iſtis tribus horis tenebraram, ſtupefactos obſtupuiſſe hos qui circa crucem inſolenter ſe geſſerant, quia nihil dictum tunc legimus, aut à Iudæis cruci aſtantibus, ut à Domino in cruce pendente. Impletum igitur illud fuit: *Impii in tenebris conticeſcent.* Sic & apud Ægyptios ſilentium magnum fuit in tenebris illis triduanis, quæ harum tenebrarum typus fuere. Quod ſi quæras, quid tunc egerit Dominus? Rectè dixerimus, Patrem pro ſe & pro nobis oraſſe in ſilentio, & ſupremi Sacerdotis partes egiſſe ſublimi modo. Cum autem inſtaret tempus quo ſpiritum erat traditurus, ne putaretur iam mortuus, ſed agnoſceretur adhuc vivus, clamavit voce magna, *Deus meus, Deus meus, &c.*

NOTA. *Vide Cor. Ianſen. cap. 3. Concord. 1. Reg. 1.*

*De quinto Verbo Quintus extenſi Chriſti in Cruce ſonus. Pſal. 63. Chriſti ſitis unde proveniat.*

QVintus Cytharæ noſtræ extenſæ ſonus eſt iſte: SITIO De quo Evangeliſta: *Sciens Ieſus omnia quia conſummata ſunt, ut conſummaretur Scriptura, dixit: Sitio.* Debebat nempè compleri illa ſcriptura Pſalm. 63. *In ſiti mea potaverunt me aceto.* Vehemēs porrò erat iſta ſitis, quæ & oraculis Propheticis prædicta erat, & voce Chriſti iam propè morientis ſpecialiter exprimi debebat. Proveniebat autem ex eo quod totâ nocte & die ſine quiete ulla fuerat huc illuc tractus, non ſine diſcruciatione & exſiccatione totius corporis; nam nec ullo lequore refectus fuit à cœna præcedentis diei. Deindè ex eo quòd maxima pars ſanguinis eius exhauſta fuerit per vulnera ſua, tum in flagellatione, tum in coronatione, tum in baiulatione crucis, & in ipſa crucifixione.

*Cur Chriſtus multa patiēs de ſola ſiti loquatur.*

Cum verò in toto corpore graviſsima tolleraret tormenta, in capite ſpinas, in manibus & pedibus clavos, quid eſt quod ſolum loquitur de hac ſiti?

*Primo*, quia illi corporis cruciatus patebant, hic latebat. *Secundo*, quia voluit notum eſſe ſe pati in lingua & palato pro primi peccati delectatione. Illud inceperat in dulcedine pomi in Paradiſo: ita finem accipit in amaritudine fellis in crucis horto & ligno. Sitit ergo Chriſtus, ut pro peccato gulæ ſatisfaciat, quod in Eva & Adamo præceſſit. Sitit ut nos à ſiti liberet æterna, quam ſine ulla aquæ guttula patitur epulo in tormentis.

Reſp. 1. 2.

Poterat ut Samſone, è mandibula, hoc eſt è cruce aquam educere. Imò ipſe Petra erat, Petra Moyſis, quæ bis percuſſa (gemina percuſſio per Virgam Moyſis crucis duo ſigna ſignabat) aquam ad refocillandum dare poterat: Sed charitas eius non voluit niſi rivos producere ſanguinis, quibus & noſtra peccata purgaret, & ſitim in nobis malignam extingueret. Quadruplici ſiti laborant homines huius ſæculi, ſiti morbida & maleſana: Prima eſt ambitionis; de qua Iſa. 5. *Nobiles eius interierunt fame, multitudo eius ſiti exaruit.* Secunda vindictæ, de qua Iſa. 25. *Quaſi turbo impellens parietem, & ſicut æſtus in ſiti.* Tertia eſt divitiarum, ita ut ſint ſimiles ſanguiſugis: *Bibent ſitientes divitias eius*, Iob. 5. Quarta eſt voluptatum: *Computreſcent piſces ſine aqua & morientur ſiti.* Ad hanc igitur multiplicem ſitim extinguendam ille ſitis qui eſt *Fons vitæ* ille ſiti, qui publice clamat: *Si quis ſitit veniat ad me.*

Nu. 20. *Quadruplex hominum huius ſæculi ſitis.* *Iſaia 5. Iſaia 25. Iob. 3. Iſaia 50.* *Ioann. 7*

Sed cur ſitit ille qui de mediis aquis velut alter Ionas exclamare auditur: *Intraverunt aquæ uſque ad animam meam:* Numquid hæ aquæ eum valent refrigerare, & ſitim temperare? Eheu! maris aquæ ſunt, & ideo ſalſæ & acerbæ; non ſitim extinguunt, ſed acuunt tribulationis aquæ amaræ. His tamen cum crucis ſigno ſe immergens, fecit ut eas poſtmodum valeremus amare, ab eis tollens amaritudinem, ſicut olim ab aquis amaris Maræ immiſſa arbore, aut ab aquis Iericho immiſſo ſale.

Pſal. 68

verun-

*Sitis Chriſti ſpiritualis potius, quam corporalis fol. 40.*

Veruntamen nec omnia mundi Flumina aut Fontes Chriſti valerent ſitim extinguere, quia non tam corporalis eſt ſitis, quàm ſpiritualis, deſiderium ſcilicet ardens redemptionis & ſalutis noſtræ. Sic enim dicit S. Auguſt. in Pſal. 61. *Sitis mea ſalus veſtra eſt, redemptio veſtra, gaudium veſtrum; plus animarum veſtrarum, quàm corporis mei cruciatus me tenent.* Nempè ſicut de Diabolo dicitur quòd adeò noſtram ſitiat damnationem, ut cupiat quod *Iordanis influat in os eius*, hoc eſt quod cupiat deglutire omnes baptizatos, qui per Iordanem ſignificantur, quia in Iordane incepit baptiſmus Chriſti: ſic dicimus, quod Chriſtus multò ardentius ſitiat ſalutem noſtram. Ideo ergo ſitit, quia flamma amoris & doloris omnia eius interiora aduſſit & exſiccavit, dum interim impii ſitim ſanguinis eius patiuntur, nec ſe valent exſatiare. Ideo ſitit, quia triginta tribus annis poſt ovem erraticam cucurrit, ut ad ſalutis viam revocaret: nunc ergo in fine curſus non mirum ſi ſe exhauſtum inclamet & ſitientem. Denique ideo ſitit, quia ob deſiderium ſalutis noſtræ, plura ferre tormenta paratus eſt, quàm hucuſque tulerit. Si ſeptuaginta ſpinas cerebro fixas perpeſſus eſt, ut nonnulli volunt, paratus eſt pati ſeptuaginta millia. Si quinque millia ictuum, paratus eſt ad milliones. Immò paratus eſt longè plura ferre, quàm poſſint hoſtium vires aut diabolici conatus inferre. Hæc eſt ergo ſitis ſalutis noſtræ, quam utinam vel paululum refrigerimus deſiderio ſimili, ſitiendo ad fontem vitæ. Sed eheu! pro ſiti refocillanda, fel & acetum ei propinamus, ſicut & hi impii. Hinc ſequitur in textu Evangelico, *Vas ergò poſitum erat aceto plenum, &c.* Ecce ultimum vale, quod exituro ex hoc mundo offertur, ecce ultima cœna quæ ei præparatur: pro cibo fel, pro potu acetum, propinator fontium, & cœlici roris imbriſque largitor, in ſiti ſua potatur aceto; mellis dator, cibatur felle. O crudelitatem in cœlum clamantem, quam de die in diem imitantur animi impii!

*Quem potum ſitienti Chriſto præſtare debeamus.*

Vnicuique noſtrum dicit ſicut mulieri Samaritanæ, *Da mihi bibere.* Sed hic eſt potus & cibus eius, ut homines faciant voluntatem Patris: Quare ergò hunc cibum & potum ei non propinamus? Apud unumquemque conqueritur interiùs de ſua ſiti. Quaſi dicat: *Aſpice ut tuæ ſalutis gratia exhauſtus ſum & conſumptus. Vide quàm horribiles perpeſſus ſim cruciatus! Sæva hominum crudelitas pene redigit me ad nihilum; ebiberunt ſanguinem meum peccatores terræ, & tamen adhuc ſitio. Nondum ſatisfactum eſt cordis mei deſiderio, amoris mei flamma neutiquam reſtincta eſt. Et enim ſi fieri poſſit & Patri gratum foret, vel millies ob ſalutem omniũ veſtrum crucifigi, & ad extremum iudicii diem in his doloribus pendere optarem: tantùm ut immenſum vobis cordis mei amorem teſtatum redderem, ſanctaque pectora veſtra emollire & ad me amandum accendere poſſem. Quid enim æſtuantiſſima hæc ſitis mea loquitur, niſi fragantiſſimum amoris mei incendium?* Itaque ſitibundus pendet iuxta fontem cordium noſtrorum, & unicuique noſtrum dicit: *Da mihi pauxillum aquæ de hydria tua*, aquam ſcilicet devotionis & compaſſionis, lacrymaſque mutui amoris; ſic refrigerabis ſitim meam. Sed quotusquiſque eſt qui aures aperiat ad hanc vocem! Vaſa cordis noſtri acida & fellea, plena ſuperbiæ, odii, livoris, impuritatis carnalis, nonniſi ei acetum depromunt.

*Abb. Bloſius ex Thau.* — *Gen. 24.*

Notat hic pro literali ſenſu Ill. Baronius Cardinalis, anno Chriſti 34. num. 126. fuiſſe ex temporis illius more parata acetum, ſpongiam, hyſſopum in monte Calvariæ: ut ſi opus eſſet, ſpongia plena aceto, hyſſopo eſſet infectum, vulneribus crucifixorum admoveretur ad ſiſtendum ſanguinem, ne ſcilicet nimis citò cruciati morerentur: habet enim hyſſopus, ut etiam ſpongia, & acetum vim ſanguinis ſiſtendi, ut ex auctoribus nonnullis probat ibidem Cardinalis Baronius.

Deſextò Verbo, *Sextus Chriſti in Cruce extenſi ſonus.*

Sextus ſonus Cytharæ noſtræ eſt iſte: *Conſummatum eſt.* Quam quidem ſonoram vocem edidit Chriſtus in cruce extenſus, poſtquam acetum ei propinatum eſſet. Vltimam nempe manum ſuo apponens teſtamento, & illud obſignans, hoc dixit. Teſtamentum partim condiderat in vitæ ſuæ decurſu per eloquium ſacræ ſuæ prædicationis, ſtabiliens hæreditatem ſuam Filiis, & novum teſtamentum præ veteri melioribus promiſſionibus ſanciens. Partim etiam in cœna illud inſtituerat, in corporis & ſanguinis ſui ſacratiſſimi legato pretioſo in amoris pignus relicto. Nunc illud complet in lecto crucis, legato relinquens peccatoribus indulgentiam, latroni Paradiſum, Virgini diſcipulum, diſcipulo Matrem; Patri ſpiritum, & ideo dicit: *Conſummatum eſt.* Hoc interim breve & ſonorum verbum exſpirantis Oloris multa in ſe complectitur ſignificatione myſtica.

*Conſummatũ eſt multa complectitur.*

Primò *Conſummatum eſt*, quia omnes Prophetiæ impletæ ſunt. Illa Iſaiæ; *Vidimus eum deſpectum, noviſſimum virorum, virum dolorum, non erat ei ſpecies neque decor.* Illa Hieremiæ: *Ego quaſi agnus qui portatur ad victimam.* Illa Danielis: *Poſt ſeptuaginta hebdomades occidetur Chriſtus.* Immò Illa Iacob Patriarchæ: *Lavabit in vino ſtolam ſuam & in ſanguine vitæ pallium ſuum.* Deniq; illa Moyſis; & innumeræ aliæ: *Erit vita pendens ante oculos tuos.*

*Iſa. 53. Hier. 11. Dan. 9. Gen. 49. Deut. 28.*

Secundò, *Conſummatum eſt*, quia omnes figuræ, umbræ, cæremoniæ, ſacrificia præſignificantia Meſſiæ mortem ceſſarunt, ſicut ceſſat præludium hora ſonante. Innumeræ ergo figuræ, quæ præceſſerunt ab initio ſæculi completæ ſunt Ecce Abel foras in agrũ adductus, & à fratre crudeliter interemptus. Ecce Noe iacet in tabernaculo nudus, à Filiis irriſus: Ecce Iſaac in montem

aſcendit portans ligna holocauſti. Ecce Scala Iacob erecta, in cælum viam parans, & Dominus innixus ſcalæ. Ecce Ioſeph, tunica polymita ſanguine tincta. Ecce ſerpens elevatus, quem qui aſpexerit, vivet.

3. Tertiò, *Conſummatum eſt*, quia completum eſt opus redemptionis noſtræ. *Opus conſummavi quod dediſti mihi.* Omnia ergo Patris mandata conſummata ſunt in paſſione, ita ut vel minimum punctum non defuerit. Omnes dolores acceperunt finem, & pretii copioſa ſolutio facta eſt pro debito peccati cum diruptione chyrographi. Diſruptum eſt imperium mortis & Diaboli, *ut finem accipiat regnum peccati.* Dan. 9.

4. Quartò, *Conſummatum eſt*, quidquid æterna Sapientia conſtituerat, quidquid rigor iuſtitiæ exigebat, quidquid charitas poterat, quidquid deſideria Sanctorum Patrum & Angelorum poſcebant, quidquid erat conveniens ad redemptionem noſtram; nec amor ultra progredi potuit.

5. Quintò, *Conſummatū eſt*, Matrimonium Chriſti cum Eccleſia, iam ab initio ſæculi præfiguratum & promiſſum: initiatum in Patriarchis, ratificatum in Prophetis, conſecratum in incarnatione, perfectum in cruce. Hic eſt dies deſponſationis perfectæ, in ſponſalitia corona ſpinea, & thalamo crucis florido.

De ſeptimo Verbo. *Septimus Chriſti ſonus* Io. 5. Ioan. 14. Ioan. 12.

Septimus Citharæ noſtræ ſonus eſt: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* An fortè Redemptor noſter iudicii divini timet ſeveritatem in fine ſuæ vitæ? Sed *Pater omne iudicium dedit Filio.* An Dæmonis aſſultus nunc veretur? Sed vires eius contrivit. & ipſe paulò ante dixit: *Venit Princeps huius mundi, & in me non habet quicquã.* Et rurſus: *Nunc Princeps huius mundi eiicietur foras.* An verò percellitur timore inferni, vel pænarum? Sed ab his nos venit liberare, & ſpolia inferno detrahere: *Ad prædam aſcendiſti Fili mi.* Gen. 49.

*Cur Chriſtus tam ſollicite ſpiritum in manus Patris commendarit.*

Cur ergo tam ſollicite in manibus Patris ſpiritum commendat, ſi nihil horum timet? Nempè ſuo nos inſtruere vult exemplo, ut numquam ſecuri de nobis, in manus Dei reponamus animas noſtras omni tempore. Nam non ſine periculo eſt anima noſtra in manibus noſtris. Tamquam enim vas fragile illam portamus, in loco lubrico & periculoſo. Immò tamquam candelam accenſam hanc circumferimus, expoſitam tribus maligniſſimis ventis, Carni, Dæmoni, Mundo, qui nunquam ceſſant ſuggeſtionibus ſuis inſidiari eius lumini, ut illud extinguant. Pro maiori ergo ſecuritate eam deponamus in manus eius qui lucem ipſius tutari potens eſt, dicamusque cum Pſalte: *In manibus tuis ſortes meæ.* Pſal. 30. Vbi putas meliùs erit anima noſtra, quàm in manibus eius qui eam creavit ad imaginem Divinitatis ſuæ. Vbi melius, quàm in manibus illis quæ pro nobis clavis ſunt affixæ? Vbi melius, quàm in manibus illis quæ miſericordia affluunt, nec deſunt foramina per quæ effluant? Denique ubi meliùs, quàm in manibus illis quæ ſemper extentæ ſunt ad amplexandum nos, & protegendum? *Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis eius ſperabis. Scuto circumdabit te, & non timebis à timore nocturno, &c.* Pſal. 90.

*In termina vita, Deo maxime cõmendandus ſpiritus.*

Sicut porrò omni tempore animum, tanquam pretioſum depoſitum Chriſti Sanguine emptum, ad tempus nobis commiſſum, reponere debemus inter manus eius qui commiſit: ita maximè reponi debet & ei commendari in termino vitæ ob Dæmonis inſidias & inſultus. Hoc voluit edocere hic Chriſtus. Inſidiatur enim tunc vehementiſsime, omneſque vires confert, quia agitur de æternitate, de victoria, aut de irreparabili confuſione. Ipſe verò ita omnibus tunc adeſt inhians prædæ, ut etiam dicant nonnulli ex ſacris Scriptoribus ipſum fuiſſe in ſiniſtra parte crucis, expectantem ſpiritum Chriſti morientis. Sperabat aliquam in eum poteſtatem in illo extremo diſcrimine viæ & vitæ huius: vel ſaltem prætendebat in ipſum captivitatem, ſicut & in cæteros, pro carcere limbi. Ita docet Venerab. Beda cum nonnullis, favetque quod dicitur poſt triplicem tentationem Diabolum reliquiſſe Chriſtum ad tempus, quia nimirum in morte adhuc rediturus erat, triſtitia, cruciatu, deſperatione aliquid ſperans ſibi in eo iuris vendicare. NOTA. Luc. 4.

Poſtquam Patri commendaſſet Chriſtus ſpiritum ſuum, *emiſſa magna voce, & inclinato capite tradidit ſpiritum.* Cur cum clamore exſpirarit, & cur inclinarit caput, copioſè declaratum eſt à nobis Horti Paſtor tom. 1. tract. 3. lect. 21. Illuc Lectorem remittimus, ubi & de vulnere lateris Domini tractavimus, immò & de quinque eius vulneribus. De quibus multa addi poſſent, ſed brevitati conſulimus.

*Tituli SS. vulnerum Chriſti varii.*

1. Hi ſunt *Quinque grandes characteres* libri myſtici in cruce extenſi, intus & foris ſcripti; intus ſtylo amoris, foris ſtylo doloris. Et hi quidem characteres legentibus inſonant *Lamentationes, & Carmen, & Væ.* Pœnitentibus lamentum inducunt. Iuſtis carmen amoris & gaudii inſinuant. Peccatoribus in peccato perſeverantibus Æternum Væ proclamant. 1.

3. Hi ſunt *Quinque Porticus iuxta Piſcinam probaticam*, ad quos accedere poſſunt omnes ægri, ut ſanitatem conſequantur, non certo tantùm tempore, ſed omni planè. Accedat ergò *multitudo languentium, cæcorum, aridorum, claudorum*: quia omni tempore aperti ſunt hi Porticus. & in hac Piſcina ſemper movetur aqua & ſanguis ad eorum ſanitatem. Nec dicant: *Non habeo hominem*, quia ibi eos fixe expectat Homo Deus. 2. Ioann. 5.

3. Hæc ſunt *Quinque loca refugii*, ad quæ omnis reus admittitur. 3.

4. *Quinque loca orationis*, in quibus ſincero corde orationem fundentes, ſemper exaudimur. 4.

5. *Quinque ora aperta*, quæ amorem noſtrum poſcunt, & miſericordiam Dei nobis implorant. 5.

6. Quin-

6. *6. Quinque Torcularia, vel Cellaria*, è quibus vinum ferventes amoris omnibus propinatur *à Sponſo Rubicundo.*

7. *7. Quinque Vbera*, lacte ſemper plena pro parvulis.

8. *8. Quinque Propugnacula*, in quibus proteguntur contra omnes inſultus hoſtis milites timidi.

9. *9. Quinque Foramina Petræ myſticæ*, quæ ſunt refugium Herinaciis, vel Columbis. Ibi ergo conſtituamus manſionem noſtram per frequentem meditationem; ibi oremus, ibi quieſcamus, ibi adoremus, ibi ſugamus, ibi os aperiamus & attrahamus ſpiritum, ibi protegamur, ibi vivamus, ibi moriamur.

## LECTIO XIV. BIPARTITA.

*De aqua & ſanguine Chriſti ex latere profluête.* PARS I.

*Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem Ieſus Chriſtus; non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine* 1. Ioan. 5.

MOyſes lecto mandato legis aſperſit aqua & ſanguine populum & librum, dicens: *Hic eſt ſanguis teſtamenti quod mandavit ad vos Deus*, (*Heb 9.*) ut tradit Apoſtolus. Sic aqua & ſanguine antiquũ fœdus ſancitum fuit, & confirmatum. Similiter Chriſtus novum teſtamentum & fœdus, voluit ſanciri & ſtabiliri per aquam & ſanguinem. Sine ſanguine non fit remiſſio & ſanctificatio, ſive in antiquo, ſive in novo teſtamento. Quod ſi *ſanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis quanto magis Sanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum, emundabit conſciẽtiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi?* inquit idem Apoſtolus.

Hoc fœdus per ſanguinem & aquam dedicatum rememorat Eccleſia tota Hebdomada ſancta. Non loquitur tunc niſi de Sanguine & Morte, de Cruce & Flagellis, de ſpinis de aqua lacrymarum, de aqua compunctionis: denique *de Purpura regis juncta Canalibus*, (*Cant. 7.*) cui vult aſſimilari *Comas & crines capitis noſtri*, ut in illo nos ſanguine aſperſi & purpurati, nihil niſi ſanguinem cogitemus, ſicque illius efficaciam percipiamus. Tunc maximè agnoſcit verum eſſe illud: *Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem.*

*1. Chriſtum in aqua & ſanguine ventũ prophetæ prædixerunt. Ezech. 36 Zach. 12.*

Sed paulò altiùs rem repetamus, & huius ſententiæ pronunciatæ à dilecto Diſcipulo Domini, cordiſque eius Filio ſpeciali, veritatem indagemus.

*Primo*, Prophetæ prædixerant Chriſtum in hunc Orbem venturum, tum ut Sanguine ſuo illum redimeret, tum ut aqua Baptiſmi expiaret & ſanctificaret. Sanguine enim ſuo pro nobis fuſo redimendos, & Deo reconciliandos, ſignificabat omnis illa ſanguinis effuſio in victimis & ſacrificiis antiquis. Baptiſmi autem aquam ſanctificantem & mundantem prædixerat Ezechiel, & Zacharias. Itaque ut hæc oracula adimplerentur, Chriſtus ad aquas Iordanis acceſſit, & ibi baptizatus eſt, ac baptiſmum vim habentem ſanctificandi inſtituit. Deinde & alium baptiſmũ ſanguinis ſubire voluit, de quo ipſe: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiatur in me.* (*Luc. 12.*) Sic venit per aquam & ſanguinem, non in aqua ſolùm, ſed in aqua & ſanguine; quia & per ſanguinem ſuum aquis vim ſanctificandi indidit. Ioannes eius Præcurſor ſolùm venit per aquam; quia licet etiam ſanguinem fuderit, ut foret Præcurſor tam per mortem & martyrium, quàm per vitam & prædicationem, tamen non potuit ſanguine ſuo vim ſanctificandi dare Baptiſmo è ſe collato, nec in pretium redemptionis illum offerre.

*2. Venit in aqua & ſanguine in Circũciſione.*

*Secundò*, iam ab infantia licet intueri quomodò venerit in aqua & ſanguine in ipſa circumciſione, ubi incipit fons ſanguinis aperiri, cui iungitur aqua infantilium lacrymarum, quibus irrigat primum ſuum & matutinum ſacrificium, offerens eas cum ſanguine in pretium redemptionis inchoatum. Sic iam incipiunt Aqua & Sanguis eſſe ſymbola certiſſima eius in nos amoris. Sed clauditur mox fons ille ſanguinis, quia pleniſſimè debebat aperiri in paſſione & cruce, ubi conſummari debebat myſterium redemptionis. Adde; quòd in incarnatione & nativitate ſua Filius Dei venerit in aqua & ſanguine, quia corpus aſſumpſit quatuor elementis, ſeu quatuòr conſtans humoribus, qui per aquam & ſanguinem ſignificantur. Nam ſub aqua rectè intelligitur phlegma & melancholia, ſive atrabilis; per ſanguinem etiam comprehenditur cholera, ſive flavabilis ſãguis enim ſi incaleſcat fit bilis, ſicut aqua & phlegma ſi craſſeſcat fit lutum & melancholia. dum itaque dicitur veniſſe per aquam & ſanguinem, verum corpus aſſumpſiſſe ſignificatur.

*3. Venit per aquã & ſanguinẽ in diæcœna Domĩ.*

*Tertio*, venit per aquam & ſanguinem in die cœnæ; dum aqua lavat pedes diſcipulorum, & ſanguinem ſuum tribuit in potum, dicens: *Hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro vobis & pro multis effundetur.* Effuſione utique non ſolùm cruenta; ſed & myſtica, in finem uſque ſæculi perduratura; ut ſit Calix ſalutaris ad ſitim totius orbis reſtinguendam, & Calix reconciliationis ac ſanctificationis in remiſſionem peccatorum. Addere poſſemus, quòd initium miraculorum ſuorum auſpicans, venit in aqua & ſanguine, dum ſcilicet aquã convertit in vinum, qui eſt ſanguis uvæ. Deſignabat hæc converſio ſuum ſalutarem cruorem, quo debebat ſponſam ſuam & potare & abluere: *Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum*, (*Gen. 49.*) dicebat Iacob hæc prævidens.

*4. Venit per aquã & ſanguinẽ in horto.*

*Quarto*, venit per aquam & ſanguinem, in horto initians ſuam paſſionem. Ibi enim non ſolùm fundit ſudorem, ſed & cruorem per omnia corporis ſui veri membra, ut lavet omnia corporis ſui myſtici membra. Rore ergò aquæ, roreque ſan-

guineo; veſtem ſuam carneam pro nobis aſſumptam, veſtem quoque exteriorem, imò & ipſam terram rigat, non ſine effectu benedictionis in terrena noſtra corda ſeſe hic refundentis. Hoc ergò in horto manifeſtè oſtenditur, quòd *Ieſus Chriſtus venit per aquam & ſanguinem.* Addere poſſumus, quòd ſurgens ab oratione totus perfuſus ſanguineo ſudore, per aquam venit ad peragendum paſſionis ſuæ myſterium, dum per torrentem Cedron pertractus eſt. & per varias anguſtiæ aquas: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Pſ. 111.

5. *In aqua & ſanguine, Chriſti perficitur condemnatio.*

*Quintò*, in aqua & ſanguine eius perficitur condemnatio, dum aquam accipit Pilatus, ſignificans ſe invitè eum condemnare, velle tamen populo acquieſcere. Populus autem inclamat, *Sanguis eius ſuper nos.* Vides hic & aquæ & ſanguis rurſus mentionem fieri, quia ille condemnabatur qui venit per aquam & ſanguinem Ieſus Chriſtus.

6. *Per aquã & ſãguinem ſe veniſſe Chriſtus in cruce declarat.* Heb. 5.

*Sextò*, ſe illum eſſe qui per aquam venit & ſanguinem declarat in cruce, quando ex perfoſſis pedibus manibuſque, in terram copioſum pro nobis fundit ſanguinem, & ex oculis uberes lachrymas in cœlum mittit ad Patrem, teſte Apoſt. ſuis his lacrymis Cælum & Solem provocans ad luctum & ſtuporem. Immo nonnulli docent numquam Chriſtum fudiſſe ſanguinem; quin & lachrymas adjunxerit, ſive in circumciſione, ſive in agonia ſanguinea, ſive in flagellatione, ſive in coronatione, ſive in veſtium ſuarum expoliatione, ſive in crucifixione. Sic ubique adimpletur illud: *Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem Ieſus Chriſtus*; ideò nempe & lacrymas & ſanguinem ſæpe fudit, ut ſe Ieſum oſtenderet & Salvatorem. Ideò quoque aquam, in myſterio Miſſæ, vino in ſanguinem convertendo miſceri juſſit, in qua rememorantur myſteria omnia vitæ eius & Paſſionis. *Miſcuit* ergo tunc *Sapientia vinum ſuũ*, in menſa crucis, quia aquam vino miſcuit, lacrymas ſanguini, doloremque immiſcuit amori. Mater quoque Sapientiæ Maria in illa menſa & ara, *miſcuit vinum.* Quid immiſcuiſti, ô Dei Mater, Sanguini Filii tui quem potamus? Nonne aquam limpidam lacrymarum, ſive in circumciſione, ſive in cruce, quas ex oculis virgineis eduxiſti, ſicque viſa fuit commixtio Sanguinis Filii & lacrymarum Matris? O quàm opto ut torrente illo doloris, imò voluptatis & amoris anima mea perfundatur.

*Salmerõ in cap. 5. epiſt. 1. Ioann.*

*Prov. 9.*

7. *Veniſſe Chriſtũ per aquã, & ſanguinem patuit in vulnere lateris.*

*Poſtremo*, quod noſtro ſervit ſpecialùs propoſito, veniſſe per aquam & ſanguinem Ieſum Chriſtum maximè patuit in vulnere lateris, ex quo profluxit aqua & ſanguis; non permixtim, ſed ſeparatim, ita ut potuerit aqua à ſanguine diſcerni. Sic enim vidit Ioannes, & teſtimonium perhibuit. De hac re etiam ſic loquitur Sanctus Cyprianus ſer. de Paſſ. *De latere tuo fons egreditur in vitam æternam, & de eadem conſubſtantialique origine diviſis limitibus aqua & ſanguis emanant, ad complementum perfectionemque totius iuſtitiæ.* Quia ſcilicet aqua indicabat Baptiſmum, qui eſt janua, ſanguis Euchariſtiam, quæ eſt finis & conſummatio omnium Sacramentorum; & ideo ſub his duobus reliqua comprehenduntur Sacramenta, quæ juſtitiam nobis conferunt & ſalutem; ac propterea è Chriſti latere Sacramenta manaſſe tradunt paſſim SS. Patres. In hanc ſententiam ibidem ſubdit S. Cyprianus: *Ex hoc fonte non tantùm ablutionis primæ, qua initiantur accedentes ad Chriſtum, undas haurimus, ſed & compunctionem & lacrymarum rivos: inde miſericordiarum ſuavitas & totius pietatis effectus emanat. Tu Domine Sacerdos ſancte, qui in tempore iracundiæ factus es reconciliatio, ſancti huius Sanguinis permanentem plenitudinem reliquiſti, & conſtituiſti nobis inconſumptibiliter potum vivificum.* Eleganter etiam hac de re Tertul. l. de Baptiſ. cap. 9. ubi cùm dixiſſet Chriſtum dediſſe teſtimonium baptiſmo aquæ, quando aqua de latere vulnerato prorupit, ſubdit cap. 16. *Eſt nobis ſecundum lavacrum, & ipſum ſanguinis, de quo Dominus: Habeo baptiſmo tingi, cùm iam tinctus fuiſſet; venerat enim per aquam & ſanguinem, ſicut Ioannes ſcripſit, ut aqua tingeretur, ſanguine glorificaretur; proinde ut nos faceret aqua vocatos, ſanguine electos, hos duos baptiſmos de vulnere perfoſſi lateris emiſit. Quia qui ſanguinem eius crederent, aqua lavarentur: qui aqua laviſſent, etiam ſanguinem potarent.* Quinimò per aquam & ſanguinem, baptiſmum fluminis & ſanguinis, hoc eſt martyrii, deſignari tradunt ſancti Patres paſſim.

*Verane fuerit aqua & ſanguis.*

Veram porro fuiſſe hanc aquam, ſicut & verus fuit ſanguis, definit Innocentius 3 cap. *In quadam, de celebratione Miſſarum*, contra quoſdam qui negabant exiviſſe veram aquam, ſed tantum pituitam, ſive phlegmaticum quendam humorem, quem aquam dicebant appellatum, quia in eo aqua prædominatur. Sed verba Ioannis in propria ſemper ſignificatione Eccleſia intellexit. *Dices*, non poterat naturalis aqua de corpore humano naturaliter exire, maximè de corpore mortuo. *Reſpondeo*, hoc aliquos negare, & dicere in corpore humano, cùm primùm recedit anima & incipit frigeſcere, naturaliter generari aquam per reſolutionem phlegmatis. Sed hoc eſt difficile creditu, nam ſic ex quocumque corpore humano mortuo poſt aliquot horas poſſet aqua educi, quod experientiæ repugnat. Et in Chriſto eſt ſpecialis ratio cur hæc reſolutio non ſit admittenda, quia eius corpus ab anima deſtitutum non *ſenſit corruptionem.* Alii Pſal. 15. qui ergò Medici dicunt fuiſſe veram aquam quæ in pericardio receptatur, quo per lanceam perfoſſo, effluxit. Sed plerique Theologi præter ordinem naturæ fuiſſe agnoſcunt quod ex mortuo corpore ſanguis & aqua effluxerit

fluxerit vera & elementaris: ideoque hoc ſupernaturali ratione factum agnoſcunt, & miraculo utrumque adſcribunt, quod Deus voluit fieri ad myſterium ſignificandum. Nempè ut veritas humanæ naturæ aſſumptæ illo teſtimonio probaretur, teſte S. Ioanne: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra. Spiritus, aqua, & ſanguis.* Spiritus clamore valido emiſſus, & in paternas manus commendatus teſtatur in Chriſto fuiſſe veram animam rationalem. Sanguis & aqua ſignificarunt fuiſſe verum corpus compoſitum ex quatuor humoribus, quorum præcipuus eſt ſanguis; & ex quatuor elementis, quorum unum eſt aqua. Deinde, iam diximus, ſignificabatur in ſanguine & aqua fundandam Eccleſiam & abluendam; atque ſicut in Baptiſmo vera adhibetur aqua, propterea & vera fluxit tunc aqua, quamuis miraculo producta, ut pleriique placet Theologis. Sed hæc ſufficiant de hac aqua repræſentata per miſtionem aquæ cum vino in ſanguinem convertendo in Miſſæ celebratione.

PARS II. *Effuſionē ſanguinis Chriſti in paſſione nunquā fuiſſe ſine ſpeciali fructu.*

VLterius adiicimus, ut vis Sanguinis Chriſti pateſcat lucidius, nunquam Chriſtum toto Paſſionis ſuæ decurſu ſanguinem fudiſſe, quin ſtatim aliquis affectus & fructus ſecutus fuerit. Attende particularius per modum recapitulationis.

*1. in horto* 1.

Nota.

*Primo*, cum ſanguinem fundit in Horto, terram propter ſanguinem Abel maledictioni obnoxiam nova benedictione afficit. Et hoc quidem pro fuit militari cohorti, quæ ad eum comprehendendum adventarat. Terra enim abſorbuiſſet eam ſicut olim *Core, Dathan, & Abiron* in *Moyſen* & *Aaron* inſurgentes, niſi pio Chriſti Sanguine rigata iam non peteret vindictam, ſed imploraret miſericordiam.

2, 2. Profuit & Judæ, ut ei daretur adhuc tempus pœnitentiæ. Profuit & Malcho, ne occideretur in peccato, dum in eum Petrus vibrat gladium non ſine diſcrimine vitæ, medium caput diſſecaturus & lethale vulnus inflicturus, niſi pietas Chriſti ſanguinolenti aliter providiſſet, ut ſolam aurem obſecraret. Quam mox manus eius benigna, cruore adhuc recenti madida, reſtituit; ac ſimul veriſimiliter animæ eius ſanitatem & converſionem procuravit.

3. 3. Profuit & diſcipulis, quia virtute ſanguinis tunc profuſi talem protectionem accepere, ut nemo ex militibus auſus fuerit in eos manus iniicere, aut eis nocere. *Ex his quos dediſti mihi, non perdidi quemquam.*

4. Denique, omnibus adhuc prodeſt qui habent aliquam devotionem ad agoniam Chriſti, & maximè agonizantibus in fine vitæ. Quocirca, S. Carolus Borromæus voluit emori & animam agere, figendo oculos & cor in imaginem agoniæ Chriſti lectulo ſuo adpenſam.

*Secundo*, inter primarias effuſiones ſanguinis cenſenda eſt quæ facta eſt in domo Caiphæ ubi colaphiſatur, cruor è naribus excutitur, crines non ſine ſanguine divelluntur. Mox verò fructus huius fuſi ſanguinis cernitur in converſione Petri, quem oculis ſanguinolentis reſpexit Dominus, & virtus huius ſanguinis uſque ad cor eius penetravit, ad fletum adducens amarum hunc qui ſe eius negaverat diſcipulum. Sic & initialiter profuit *Iudæ*, qui cœpit duci pœnitentia ubi plenè agnovit ſe ſanguinem juſtum tradidiſſe; & ipſum peccatum quo hunc ſanguinem tradiderat, ipſe ſanguis jam cæptus effundi poterat abluere, niſi abiviſſet cum deſperatione, qui peccaverat in ſpe. Denique fructus huius ſanguinolentæ colaphiſationis & vellicationis pateſcit in omnibus illis qui reſpicientes in faciem Chriſti Domini ſic conſpurcatam & malè tractatam, pro eius amore & imitatione lubenter patiuntur quaslibet injurias, imò & alapas & percuſſiones, ſive perſecutiones, parati pro eo & cum eo ſanguinem fundere. *2. in domo Caiphæ.*

*Tertio*, cùm fudit ſanguinem illum copioſum in domo Pilati, ſive per flagellationem (inflictis, ut nonnulli volunt, ſupra quinque millibus ictuum) ſive per coronationem acerbiſſimam, nonnulli ſanguinis illius fructus & effectus mox apparuerant. Nonne remorſus conſcientiæ perſentiſcere viſus eſt virtute illius Præſes Pilatus? Nonne trepidavit ipſe *Iudex*, intus coarguente eum ſanguine hoc innocuo? Sed non acquievit internæ monitioni, & remorſui, ac trepidationi, infelix ſanè Iudex. Vlteriùs monitio, uxoris eius, & depreſſio regni Dæmonis, quam iam ex parte perſenſiſſe docet ſanctus Ignatius, nonne etiam affectus ſunt huius profuſi ſanguinis? Immò & illa vox populi inclamantis, *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros*, hactenus dici poteſt effectus huius ſanguinis, quia licet neſcirent quid dicerent, dicebant tamen quod debebant ſicut & Caiphas propetans, ut ſuprà diximus. An non & quotidiè fructus huius ſanguinis in coronatione & flagellatione educti pateſcit in illis Sanctis qui lubenter coronam ſpineam & flagella amplectuntur, *& ſtigmata Domini Ieſu in corpore ſuo portant*? Quàm gloriabatur in his S. Paulus, S. Franciſcus, S. Eulalia, S. Catharina Senenſis? *3. in domo Pilati.* *Galat. 6.*

*Quarto*, cum fudit ſanguinem in bajulatione oneroſæ ſuæ Crucis, iam renovatis vulneribus, & veſtigia pedum eius inſpergentibus per compita & plateas; nonne mox huiuſce ſanguinis aliquis apparuit fructus: Certè huius ſanguinis effuſioni rectè attribuerimus obedientiam Simonis cum eo crucem portantis. Quia licet angariarint cum Chriſti hoſtes, mox tamen ubi cruci ſanguinolentæ humeros ſubmiſit, agnovit virtutem *4. in bajulatione crucis.*

crucis

crucis & ſanguinis, eum humilitate & obedientia onus ſibi impoſitum perferens. & iter in montem ſanctum, Chriſti inquam montem peragens, cum perſeverantia & pietate animi. An non & effectus fructuſque fuit ſanguinis Chriſti tunc fuſi devotio mulierum eius veſtigia ſanguinolenta ſectantium cum lacrymis & compaſſione, neglecta etiam militum turba & minitatione: Denique huius ſanguinis fructus & effectus fuit Veronicæ occurſus pius cum linteo ad faciem extergendam cui Chriſtus Dominus in compenſam pietatis vultus ſui cruenti imaginem imprimere dignatus eſt. Rurſus fructus huius ſanguinis quotidie manifeſtatur in his qui poſt Chriſtum gaudenter & alacriter baiulant ſibi crucem, ab eo humeris cuiuſque impoſitam.

5. *In Cruce.*

*Quinto.* copioſiſſima effuſio fuit in cruce, dum ex quinque canalibus ampliſſimis & ſacratiſſimis ſeſe effundit Fons pietatis, ad quos poteſt quicumque voluerit accedere, ſive ad ablutionem ſive ad refocillationem, quia & ibi lavacrum eſt, & poculum omnibus propoſitum. Immò ibi diluvium quoddam generale, non ut diſſipet terram, ſed ut eam renovet, de quo & dicere illud poſſumus: *Cataracta cœli apertæ ſunt, & rupti Fontes abyſſi*, quia divini amoris Fontes aperiuntur, & cœli noſtri cataractæ, hoc eſt pectus & viſcera Chriſti, diſrumpuntur: ut roſea pluvia undique abundet, non in ultionem, ſed in remiſſionem, non in mortem, ſed in vitam. O felix diluvium ſanguineæ pluviæ mixtæ igni ardenti, ut diſſipet quod terrenum eſt, & efficiat omnia cœleſtia. En ſimul hoc diluvium ſignum fœderis eſt, quia ex arcu prodit cœleſti à Chriſto in Cruce extenſo. *Gen. 8.*

*Effectus ſanguinis in quatuor orbis partibus*

Prodeſt ergo quatuor orbis partibus à peccato eluendis, & è captivitate eruendis, copioſus iſte ſanguis, copioſaque apud Dominum redemptio tunc exhibita. Rigat Calvariam Adæ & omnium poſthumorum filiorum eius, pretioſus ille cruor, qui quaſi quinque partiti fluminis impetus totam terram rigare præcipitur. Mox verò efficaciam ſuam oſtendit, non ſolum in Latronis prodigioſa converſione, ſed etiam in Centurionis ſubita mutatione, ac omnium illorum qui revertentes percutiebant pectora ſua.

An non & effectus eius eſt luctus in cœlo & omnibus creaturis, in velo templi, & petris & monumentis, in Sole & Luna.

*Effectus ſanguinis Chriſti in inferno.*

An non & fructus eius in eo manifeſtus eſt quod proſit vivis & mortuis, quod proſit his qui in limbo agebant, quique agebant in Purgatorio, Immò & efficacia eius pateſcit in inferno, dum ibi ligat Chriſtus Satanam virtute ſanguinis ſui, & de eo triumphat. Penetravit ergo virtus Sanguinis eius omnes inferiores partes terræ, & licet nihil profuerit damnatis, niſi ad majorem confuſionem, captivis tamen in carcere limbi & purgatorii maximè profuit, dicente Zacharias *Tu autem in ſanguine teſtamenti eduxiſti vinctos de lacu in quo non erat aqua.* Hic eſt ſanguis teſtamenti, quo ſc. ultimum ſuum ſignavit teſtamentum ſuper menſam crucis, & virtute illius educti ſunt è lacu profundo & ſicco, hoc eſt è carcere, in quo etiam carcere non erat aqua refrigerii & ſolatii: Chriſtus autem per aquam venit & ſanguinem, pretium afferens, & educens in refrigerium. Immò penetravit virtus ſanguinis huius portas cœli, *quia factus eſt nobis Clavis reſerationis cœli Sanguis Paſſionis Domini.* Intinxit Ieſus ut Sacerdos digitũ in ſanguine ſuo, *& aſpergens quaſi ſepties contra velum Sanctuarii*, omnes portas aperuit, omne velũ reſeravit. *Angelicæ virtutes feſtinarũt reſerare clauſa, ubi viderunt ſanguinem in cœlum levari de viſceribus Salvatoris*, adorant enim virtutem cruoris Dei & Creatoris ſui, & in illius occurſum procumbentes tremunt, nullumque volunt ei obſeratum velum, aut introitum ſuæ cuſtodiæ commiſſum. *Zach. 9.* *Levit. 4.* *Abbas Cellen. li. de Panib. cap. 15.*

Concludamus igitur, & agnoſcamus quod *Ieſus Chriſtus venit per aquam & ſanguinem.* Aquam gratiæ, aquam miſericordiæ; aquam vitæ de eius Fontibus manantem hauriamus gratis. Sanguine quoque eius nos aſpergamus, quia & ad eum nobis accedendum eſt per aquam & ſanguinem. Audiamus Apoſtolum dicentem: *Acceſſiſtis ad novi teſtamenti Mediatorem Ieſum, & ſanguinis aſperſionem melius loquentem quam Abel, Videte ne recuſetis loquentem.* Nõ loquitur nobis ille ſanguis niſi de remiſſione peccatorum, de gratia ſanctificante, de munditia vitæ & conſcientiæ, de ſalute perfecta animæ. Videte & contemplamini ac audite illum quocumque loco profuſum. Attendite illum in horto cum animi devotione, & ſentietis eius affectum in vita & in morte. Loquitur autem ibi vobiſcum de perfectæ voluntatis reſignatione. Attendite & videte eum inter alapas & faciei divulſionem, loquitur ibi vobiſcum de animi perfecta patientia. Videte & attendite eum profuſum inter flagra ad columnam, loquitur ibi de conſtanti & continua mortificatione. Videte & attendite eum è vertice coronato profluentem, loquitur ibi de pœnitentia & auſteritate. Attendite denique in cruce fuſum. Videte ne operiatis vocem eius, & fruſtra vobis fuſus ſit. *Heb. 12.*

## LECTIO XV.

*Stabat iuxta Crucem Ieſu, Mater eius, &c.*
*Ioann. 19.*

ADmirandum fuit Filii Dei conſilium, quo voluit Matrem intereſſe Paſſioni, & adſtare Cruci, cum tamen inde incrementum ſumeret haud exiguũ ſive Matris ſive Filii cruciatus. Scriptum erat Exod. *Non coques hœdum in lacte matris.* Et Lev. *Non immolabitur ovis una die cum filio.* An nõ hic Mater in Filii lacteo ſanguine decoquitur, *De doloribus B. M. V. in Chriſti paſſione.* *Exod. 23.* *Levit. 22.*

& Filius

& Filius in Matris lacrymis? An non tibi videtur hic ovis cum agno in ſacrificium offerri?

*Cur Chriſtus paſſioni ſuæ Matrem ſuam intereſſe voluerit.*

Multas porro rationes proferunt Sancti Patres, cur Chriſtus tanto cum cruciatu voluerit Matrem adſtare cruci.

*℟. 1. Ex S. Anſelmo. Luc. 2.*

Prima eſt S. Anſelmi libr. de laudibus Virginis, quia ſolet Deus electos gravi probare tribulatione, oportebatque impleri illud Simeonis: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Immò oportebat, inquit S. Anſelmus, illam in qua omnem gratiam Chriſtus collocavit, non carere honore martyrii: ſub cruce autem gravius ei martyrium fuit, quam ſi occideretur; quia ſicut amor Virginis in filium non poteſt explicari, ita nec dolor quem ob eius necem ſub cruce tulit. Ibi ictus lanceæ eam conſtituit REGINAM MARTYRUM, ait S. Bernard.

*B. V. Regina Martyrum.*

*℟. 2. Ex S. Ambroſ.*

Secunda ratio eſt S. Ambroſii, qui ideo dicit decuiſſe Virginẽ adſtare cruci, ut ad opus noſtræ redemptionis eo quo poterat modo concurreret, & ſicut perditio per unum hominem & mulierẽ intrarat ita & veniret remediũ. Chriſtus quidem ſolus Redemptor eſt, & Mediator Dei & hominum: tamẽ ſicut Eva pomum porrigens dedit materiam & auſam peccandi; ita Maria Filio offerebat genus humanum; cuius redemptionem perageret, pro quo & ipſa quantum in ſe erat, immolabat animum ſuum, pro ſuo cooperans modulo. Optaſſet quidem cum Filio etiam corpore immolari in altari crucis; atque cum eo celebrare ſolemne illud ſacrificium expiationis mundi, conſummativum omniũ ſacrificiorum. Sed hoc ſolius ſummi Sacerdotis privilegiũ erat, ut munus proprii ſanguinis intra ſancta inferret; quia torcular calcavit ſolus. Crux erat altare illud thymiamatis corã propitiatorio, ſuper quo ſolus Sacerdos ſummus incenſum adolebat, & ſemel in anno ingrediebatur in ſanguine ad orandum pro populo.

*Exod. 27. & 30.*

*℟. 3. Ex S. Damaſc.*

Tertia ratio eſt S. Damaſceni, ideo Chriſtum voluiſſe Matrem ſuam adſtare Cruci, ut dolores, quos pariẽdo effugerat, tunc nos ſpiritualiter parturiendo ſufferret. Verè enim nos ſub arbore crucis generabat Filios doloris, ſed filios ſimul gratiæ & ſalutis; ideoque ibi ſolemniter inſtituitur Mater omnium Chriſtianorum, dum dicitur nobis ſicut & Ioanni: *Ecce Mater tua.* Sic Chriſtus Dominus non ſolùm voluit nos habere eumdem Patrem in cœlis, ſed & eamdem Matrem in terris, ut ex utroque parente fratres ſimus, & cum Beniamin duplicem portionem ab eo percipere poſſimus.

*℟. 4. Ex S. Anſelmo.*

Quarta ratio eſt iterum S. Anſelmi, qui dicit ideo voluiſſe Chriſtum ut Mater adſtaret cruci, quia inſtituebatur Maria ibi tamquam hæres univerſalis, in qua ipſe deponere univerſum ſanguinem ſuum, & merita, gratiam omnigenam: ut illa colligeret hæc omnia, & poſtea ſuis manibus & interceſſione ea diſtribueret & divideret. Ideò nempè tunc univerſorum hominum curam ſuſcepit, ut pro omnibus ex officio intercederet.

*Conſtantia B. M. V. ad crucem Ieſu.*

Sed in particulari conſideremus cõſtantiam huiuſce Matris ſub cruce in mediis iiſque acerbiſſimis doloribus. Hanc conſtantiam expreſſit S. Ioannes paucis, ſed energicis verbis *Stabat iuxta crucem Ieſu Mater eius.* Singula verba pondus habent.

*1. Stabat.*

Primò quidem dicit, *Stabat*, quia numquam illa cecidit, nunquam defecit, nunquam nutavit; ſed tamquam columna immobilis ſemper ſtetit, & inter turbines violentiſſimos: & torrentes dolorum Imperterrita fuit, nec vacillavit. *Stabat* ergò corpore, *ſtabat* mente, *ſtabat* cordis erectione. *Stabat* fidei integritate, ſpei celſitudine, charitatis perfectione, *ſtabat* virtutum omnium culmine. Nõ eius fidem aut ſpem aquæ multæ inundantis tribulationis potuerunt extinguere, nec charitatis fervorem flumina obruere. Amicis deſerentibus, diſcipulis fugientibus, qui debebant tamquam viri robuſti in prœlio ſtare, pane cæleſti antea confirmati, Eccleſiæ columnæ futuri; ipſa ſola fortiter ſtat, & ſocietatem exhibet filio ſtanti in cruce, brachiis extenſis. Orbem dimetienti, & pavidos ac fugientes ad ſocietatem prœlii & triumphi revocanti, quem per crucem bellator ipſe fortis debebat reportare. Illud quoque per vocem *Stabat* ſignificatur, omni ſe modeſtia geſſiſſe, ita ut nihil indiſciplinatum, nihil in eius geſtu & actu exteriore indecens fuerit, ut ſolet frequenter accidere in fœmineo ſexu infortunia ſua plangente nimio exteriori exceſſu. Non igitur ſpaſmum paſſa eſt, ut nõnulli fingunt & pingunt. Non iacuit præ mœrore, non cecidit præ animi deliquio, non ſedit dejecta mente: ſed *ſtabat*, inquit ille *qui vidit, & teſtimonium perhibuit.*

*Stabat in tantis doloribus ex ſpeciali gratia.*

Hoc tamen non ſolum virtuti naturali, ſed & gratiæ ſpeciali adſcribimus, quòd in tãta cordis amaritudine, in tãto dolorum torrente; tot in corde vulneribus ſauciata, quot per corpus Filii erant ſparſa, toties ſecundùm animam Simeonis gladio transfixa, ſtare potuerit inexplicabili & mentis & corporis conſtantia. Cuilibet matri atrocem incutit dolorem audire mortem filii, ſi vere mater eſt. Augetur dolor, ſi horribili morte interemptum audiat. Intolerabilis fit dolor, ſi in præſentia matris, & in eius oculis, diſſecatur, & quaquaverſum confoditur filius. Quam igitur intolerabilis fuit dolor tenerrimæ & dilectiſſimæ Matris, dũ horribilibus videt coram ſe tormentis Filium per ſingula membra cruciari, & morte acerbiſſima conſummari? Sed dolore dolor hic quoque cumulatur, quòd nullũ valeret auxilium afflicto præſtare. Cernit vulnera, nec poteſt oleo fovere, aut pãniculis colligare, ut in circumciſione. Cernit cum lacrymis fluentem undique cruorẽ è carne rubricata, nec linteo valet extergere, aut in ſinum ſuum colligere, ne in terram decidat. Cernit nuditatem ignominioſam, nec poteſt vel capitis velo vel faſciolis

ſciolis regere, ut olim in Bethleem. Audit ſitientem, nec poteſt potare. Audit derelictum & conquerentem, nec ſolatio poteſt illi eſſe. Videt caput pendulũ, nec poteſt ſuſtentare. Audit blaſphemas voces, nec eas poteſt impedire. Videt expirantem, nec datur ei cõmori & ſimul occumbere. Interim inter hæc omnia ſtat, totis quidẽ maternis viſceribus commota, ſed maxima tamen cum fortitudine & conſtantia. Impetus Paſſionis Domini tantus fuit, ut quaſi torrens ipſum patientem dolore impleret: ſed ipſo impleto, jam in Matrem defluebat pleno curſu, ut & ipſam impleret. Denique, & ab ipſa iam impleta rurſus refluebat & redundabat in Filium. Sic ubi erat reciprocatio amoris, reperiebatur & reciprocatio doloris, quia ab utriuſque corde in cor utriuſque viciſſim refudebatur amor & dolor inexplicabilis amor mutuæ charitatis, & dolor mutuæ compaſſionis.

Olim Agar in ſolitudine videns filium ſuum Iſmaëlem præ ſiti & æſtu ac præ fame morti vicinum; reliquit puerum ſubter unã arborem, & abiit, & ſedit è regione procul quantum poteſt arcus iacere, dicens: *Non videbo puerum morientem, & ſedens contra levavit vocem ſuam, & flevit.* Amabat equidem filium ſuum Agar. ſed non erat tanti animi, tantæque conſtantiæ, ut eum morientem valeret intueri; ſufficit ei quòd diſceſſu & lacrymis affectum ſuum maternum teſtetur: foret ei intolerabile videre & audire extremum morientis filii ſingultum. Nõ ſic Maria, quæ longè magis Filium ſuũ amat quam Agar ſuum. Sed plena amoris, plenaque conſtantia, non relinquit filium ſub arbore, aut in arbore; ſed ipſa ſtat iuxta crucis arborem, in qua emoritur: & intuetur ſingula quæ ibi gerũtur, toties commoriens corde & dolore, quot cernit livores & vulnera in eius benedicto corpore. Flevit ergo Maria affectu materno, ſicut & Agar, ſed dixit: *Videbo morientem.* Quaſi diceret: Videbo quomodò ei perforentur pedes & manus, ac patibulo ſaffigatur: videbo quomodò erigatur in ligno, mihi licet funeſtiſſimo & atrociſſimo. Cum ipſi receſſerint & procul ſteterint, tamquam recedentes ab homine maledicto, (*Maledictus omnis qui pendet in ligno,*) accedam ego propius, & ſtabo iuxta illud lignũ. Immò amplectar illud brachiis, deoſculabor labiis, rigabo lachrymis, afficiam benedictionibus. Et quia non licet mori cum eo, infigam tamen oculos in ſuſpenſo Filio meo. Aſpiciã quomodò de hoc mundo exeat, quæ ſola utique novi, quomodò in hunc mundum venerit. Nõ deſeram morientem, quæ nunquam deſervi vivẽtem. O quam deſiderabile, quamque ſuave mihi foret pro eo mori in cruce, vel ſaltem cum eo! ſed quandoquidem hoc mihi denegatur; iuxta crucem ſtabo. VIDEBO MORIENTEM. An non hæc alia eſt vox quam Agar? Utique, quia fortior longe affectus maternus in Maria, quàm in ipſa quæ dixit: *Non videbo morientem.*

*Gen. 21.*

*Deut. 21.*

*2. Stabat iuxta Crucem.*

Secundò, illud ulterius ponderandum; JUXTA CRUCEM. Vbi quæri poteſt, an Maria ſolũ adfuerit Filio, dum in crucem eſt elevatus; an non & interfuerit dum præviis aliis tormentis affectus fuit, in coronatione, flagellatione, & aliis illuſionibus, ſive in domo Herodis, ſive in domo Pilati, ſive in plateis & vicis Ieruſalem, dum toties huc ille fuit circumductus? Dicendum in primis, Virginem nõ ignoraſſe cauſam incarnationis Filii ſui fuiſſe, ut cruciatibus, ſanguine, morte nos redimeret. Hoc ſcivit ex lectione & meditatione Prophetarum, & ex Filii ſui enarratione: quia ſicut prædixit ſæpè diſcipulis ſuam Paſſionem, ita eam Matri non abſcondit, quam efficiebat ſecretorum ſuorum conſciam. Vnde ſicut Filius eam meditabatur iam ab infantia, cordi adpreſsã habens, & deſiderans eius horam: *Coarctor donec perficiatur in me.* Sic & ipſa Mater ſæpe ruminabat illud Simeonis: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Quoties Filii corpus & membra contemplabitur, memoriæ occurrebant tormenta, quæ in illis erat paſſurus. Hic erat *Myrrhæ faſciculus inter eius ubera;* quia non poterat dolore affici ut Mater, licet ardenter deſideraret ſalutem pro miſeris peccatoribus à Filio in Cruce conſummandam.

*Luc. 12.*

Quapropter ſic quondã allocutus eſt Dominus S. Tereſam: *Exiſtimas ne, O Filia meritum conſiſtere in fruendo? Immò potiùs conſiſtit in patiendo. Non eſt auditum niſi ſemel quòd S. Paulus gaudio cœleſti ſit fruitus; ſed multiplices eius paſſiones frequenter audiſti. Tu quoque vides totam vitam meam tolerantia & acerba paſſione eſſe plenam: nec niſi ſemel fit mentio de gaudio meo in Thabor. Dum Matrem meam intueris brachiis me complectentem, non exinde exiſtimes ſemper ei gaudium fuiſſe ſine dolore: nam ex eo tempore quo eam allocutus eſt Simeon de gladio animã transfixuro, lucem percepit à Patre meo, qua ſemper intuebatur quæ paſſurus eram.* Hæc Chriſtus Thereſæ, quæ exinde didicit ſemper à Domino petere pro eius amore, AUT PATI, AUT MORI, ut Mariæ conformis fieret, & Filio eius patienti.

Dicendũ ulteriùs, quòd ſicut inſtantem paſſionis diem Chriſtus Diſcipulis ſuis aperuit. *Poſt biduum Paſcha fiet, & Filius hominis tradetur, ut crucifigatur:* Sic etiam noluit latere Matrem diem horamq; diſceſſus ſui. Vnde piè hic meditantur ſacri Scriptores feria quinta Matri valedixiſſe, dum ad Agnum edendum procederet, ipſa manente Ieroſolymis pro more feſti Paſchæ. An Filius inſalutata Matre ad deſideratam mortem iret? Sed an ſine lachrymis hæc valedictio fieri potuit, & ſine concuſſione viſcerum Matris pariter ac Filii, quandoquidem iam avellluntur à ſeſe mutuo nõ ſine acerbo dolore & angore, qui tam arcto adhæſerunt ſibi ſemper vinculo & amore? Si Mater Tobiæ tot lachrymis deplorat Filium non redeuntem. Si Rachael plorat filios, & noluit conſolari, quia non ſunt. Si Matres lamentantur proles Herodis crudelitate enecandas: quid hic contigiſſe exiſtimas? Certè Ionathas & David non poſſunt ſepa-

*Matt. 26*

*An Chriſtus ſuam mortem imminẽtem Matri patefecerit.*

rari

rari ſine lacrymis, ſibi valedicentes. *Oſculantes ſe alterutrum fleverunt pariter, & David autem amplius* Vnde ille fletus, niſi à dilectione? An non maior dilectio inter Chriſtum & Mariam? Si Ionathas diligit Davidem quaſi animam ſuam, & viciſſim etiam ſimiliter David Ionathan! quis ambigit ſtrictiorem extitiſſe amorem inter Chriſtum & Mariam, quandoquidem ſtrictiori eos vinculo cœlum ſtrinxit, & triginta trium annorum contubernio colligavit? Interim reſignavit ſe forti animo Maria, voluntati Filii ſe conformans, ob redemptionem generis humani, Chriſtusque abiens non eſt oblitus lacrymarum Matris, ſed illas ſecum tulit, & æterno Patri obtulit, in auſpicium felix iam inſtantis Paſſionis.

*1. Reg. 20*

*Maria nocte paſſionis abſens filii dolores plangit.*

Dicendum deinde, quòd noctem ſubſequentẽ, in qua paſſionem ſuam auſpicatus eſt Dominus, non impenderit Maria quieti & ſomno, ſed contemplationi affectuoſæ, plangens in ſecreto, & rememorans, velut Turtur ſolitaria, corde & tenus quæ poterat in nocte pati, conferens ea in corde ſuo, & dignantiſſimam eius charitatem expendẽs, qua ſe in manus impiorum tradebat tantis cum tormentis, tantaque cum ignominia. Et licet non interfuerit Virgo ſanctiſſima noctis tormentis, vel diurnis circuitionibus & illuſionibus, dum per vicos deducitur; nec flagellationi, aut coronationi, aut ad columnam alligationi, potuit tamen reſcire vel per Ioannem, vel per diſcipulorum aliquem, quæ geſta erant; ac denique certior facta eſt de ſententia crucis prolata. Nec tamen hoc infauſto nuncio conſternata ſcidit veſtimenta, ut Iob, aut caput crineſque ſparſit, vel divulſit: ſed atrociſſimum licet interiùs dolorem fortiſſimo animo geſſit. Hoc animo reſolvit eum illo conſcendere in *Montem Myrrhæ, & Collem Thuris*, in montẽ Calvariæ & amaritudinis; ſed Montem, in quo ſuaviſſimi odoris Sacrificium erat in Altari Crucis offerendum. Sine ipſa Sacrificium matutinum in Præſepio Nativitatis non erat inchoatum: ſine ipſa Sacrificium veſpertinum in Patibulo Mortis non erat conſummandum. Vtrobique Mater ſtat iuxta Aram ſacrificantis, conferens in corde ſuo quæ geruntur: utrobique; quantum in ſe eſt, ſacrificio dignantiſſimo cooperatur, & ſeipſam offert cum Filio. Quapropter hic de ea dicitur: *Stabat iuxta crucem.*

*3. Stabat iuxta Crucem Ieſu.*

Tertiò ponderandum eſt quod dicitur: *Iuxta Crucem IESV.* Quid tibi ô Maria benedicta cum Cruce, quæ maledictionis arbor eſt? Quid tibi cũ patibulo ignominiæ, ô Regina gloriæ? Quid tibi cum turbis iuxta crucem, quæ amas ſolitudinem? Quid tibi cum loco fœtoris, loco cadaverum, ô puriſſima Virginum, & Spiritus Sancti Sanctuarium? Quid tibi cum carnificibus in loco damnationis, quæ Mater es benedictionis? Sed quia ibi Ieſus, hoc eſt Filius tuus eſt, ex pia in nos voluntate, ibi oportet & te eſſe, nec ullo vel opprobiorum vel maledictionũ terreri horrore. Quia ibi Crux Ieſu eſt, illi te oportet adhærere. Sub Arbore illa quam elegit, & ſub umbra illius quem indivulsè diligis, oporet te ſtare, vel ſedere. & fructum redemptionis, amarum in cortice, dulcem tamẽ gutturi tuo in voluntatis conformitate, oporte te primam colligere. Quia ibi Crux Ieſu eſt, oportet te illius poſſeſſionem capere, quia hanc ſolam Crucem ipſe poſſidet, omnibus penitus expoliatus? hanc ipſe vult te hæreditare. Et ecce iuxta Crucem ſtans hanc adis hæreditatem Ieſu, cuius & nos fratres eius filioſque tuos efficias conſortes. Docuiſti enim nos primo *exire cũ ipſo extra caſtra improperium eius portantes*: docuiſti nos Cruci adſtare, & Crucifixo condolere, docuiſti nos ad certamen nobis propoſitum currere, *adſpicientes in Auctorem Fidei & Conſummatorem IESVM, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem*; ſicque peccato reſiſtere uſque ad ſanguinem. Quiſquis Crucis non eſt particeps, non poteſt tuus vel Filii tui hæres eſſe.

*Heb 12.*

*Ibid.*

Sic teſtatus eſt ipſemet Chriſtus Sanctæ Claræ de Monte Falco. Hæc ſive vigilans, ſive dormiẽs adhærebat cum Maria Ieſu Chriſto Crucifixo, & Chriſti ac Mariæ dolores per intimam compaſſionem cordi ſuo profunde infigebat. Quapropter quodam die apparuit ei Chriſtus humeris crucem ferens, & dixit ei diſertis verbis, *O Filia mea Clara; quæſivi locum ſolidum in quo hanc Crucem plãtarem, & inveni cor tuum, ibi eam volo figere. Oportet ergo ut moriaris in hac Cruce, ſi Filia mea & Hæres vis eſſe.* Adeo impreſſum exinde habuit Paſſionis Chriſti myſterium, ut aliquot annis quicquid comedebat vel videbat, ei amarũ foret in memoria Paſſionis Chriſti, quaſi felle eius reſperſũ, nec de illa ſine lacrymis loqueretur. Ex hac viſione creditur quod ſigna Crucifixi impreſſa fuerint eius cordi, quia poſtmodũ ſenſit graves dolores ſtomachi. Sic tẽpè Virgo iſta ſimiatrix Mariæ ſtabat ſemper iuxta Crucem cum illa, immò ſtabat, ſicut & Maria, cũ Jeſu crucifixa. Hinc inventa fuit Crucifixi imago in eius corde, cũ tribus clavis & lancea & ſpongia, & arundine ex una parte, ex altera verò flagella & columna & corona ſpinea. Erãt verò hæc omnia diſtinctim expreſſa, miro artificio concinnata, quaſi nervi fortes: immò adhuc hodie viſuntur hæc in eius corde.

*Compatiendum Chriſto & Mariæ*

Felix ergo qui iuxta Crucem Chriſto compatitur & Mariæ intima compaſſione, ſignum certè habet electionis ſuæ. E contra, infelix qui hæc negligit, ita ut meritò prius quidam & ſapiens hac de re ſic pronunciarit: *Revera quiſquis afflictiſſimæ & mœrenti Matri non compatitur, non eſt vivens gratiæ filius, ſed eſt abortivum inſenſibile ac mortuum. Indignus planè eſt qui lac gratiæ ex eius ſugat uberibus.* Rectè ergo Filii Eccleſiæ & Mariæ ſic orant;

*Abb. Bloſius. Marg. ſpirit. p. 3 c. 29. Vide dicta Lect. 13. de tertio Chriſti Verbo*

*1. Eia Mater, Fons amoris,*
*Me ſentire vim doloris.*
*Fac, ut tecum lugeam.*

*2. Sancta Mater iſtud agas,*
*Crucifixi fige plagas*
*Cordi meo validè,*
*3. Fac me verè tecum flere.*
*Crucifixo condolere,*
*Quoaduſque vixero.*
*4. Iuxta Crucem tecum ſtare,*
*Te libenter ſociare*
*In planctu deſidero, &c.*

*4. Stabat iuxta crucẽ, Mater eius.*

*Ambr. in Lucam.*

Quartò & illud conſideratione dignum, quod nomen Mariæ non exprimit Evangeliſta, ſed ſolũ dicit: *Stabat iuxta Crucem Ieſu* Mater *eius*, Sufficit ei dixiſſe Matrem eſſe, quo nomine ſatis includit dolorem, quem tunc potuit ſufferre. Matrem cogitare. Matrem conſiderare, & talem Matrem! Nomen Matris nomen eſt affectus, nomen eſt officii. Non defuit Mater affectu, non defuit officio. Audi Ambroſium de utroque differentem. M*aria, ut Matrem decebat Chriſti, fugientibus Apoſtolis ante Crucem ſtabat, & piis ſpectabat oculis Filii vulnera quia expectabat non pignoris mortem , ſed mundi ſalutem.* Ecce affectus in Filium conſtans, ſed in nos redundans ut filios. Ecce Mater Jeſu piis inſpectãs oculis Filium, ſed etiã in myſtica eius membra, & in filios futuros oculos cordis coniiciẽs. Vnde ſubdit S. Ambroſius notans officium Matris iunctim cum affectu erga filios futuros: *Aut fortaſſe quia cognoverat per Filii mortem mundi redemptionem aula regalis; putabat ſe & ſua morte publico muneri aliquid additurum Sed Ieſus non egebat adiutore ad omnium redemptionem, quia dixit: Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio inter mortuos liber. Suſcepit quidem Matris affectum, ſed non quæſivit hominis auxilium.* Hæc S. Ambroſ.

Interim de hac Matre Ieſu iuxta Crucem ſtante ſimiliter loqui poſſumus ac S. Auguſtinus de Matre ſeptẽ Machabæorum. *Illa*, inquit, *videndo, in omnibus paſſa eſt facta Mater ſeptem Martyrum, ſeptimo Martyr, à filiis non ſeparata ſpectando, & filiis addita moriendo. Videbat omnes, amabat omnes, ferebat in oculis quod in carne omnes.* Sic ſcilicet & Maria mille eſt cruciatus paſſa, in via, in monte, in Cruce millies Martyr & Martyrum Regina; à Filio, *Martyrum* omnium Duce, non ſeparata, ferebat in corde quod ille in carne.

Maximum porrò Martyrium, maximuſque dolor fuit, dum vidit Filium inclinato capite exſpirantem, ac paulò poſt lancea crudeli transfoſſum. Nullum enim Filio dolorem lancea intulit. Sed Matris cor penetravit, & acerbiſſimè vulneravit. Hinc ſupra dixi, quod hæc lancea eam fecit Reginam Martyrum De hac re ſic S. Bernardus: *Revera Mater dulciſſima doloris gladius ſcidit animam tuam , quando crudelis lancea latus Filii confixit. Non enim ſua illic, ſed tua potius anima erat. Itaque præcipua es Martyrum quandoquidem immenſus dolor tuus internus externa vicit Martyrum cruciamenta.* Ita ille.

Renovatus verò fuit ille dolor, auctumque Martyrium, dum inter ſacra eius brachia corpus ſic confixum deponitur. *Tunc* potuit lacrymis rigare manus & pedes, quod antea non poterat. Potuit introſpicere vulnus lateris, quo & viſcera Filii patebant, & cor ipſum. O quam intenſi tunc fuere dolores Matris *I*eſu , dicentis de illo ſicut David de Abſalone: *Fili mi Fili mi, quis det ut moriar pro te?*

*Martyriũ B M renovatum*

Olim Iacob noluit admittere conſolationem, ubi vidit Filii veſtem ſauguine tinctam, ſed dicebat *Tunica Filii mei eſt, fera peſſima devoravit eum, beſtia devoravit Ioſeph.* Congregatiſque cunctis liberis eius, ut Patris lenirent dolorem, nullo fuit affectus ſolatio, ſed dixit: *Deſcendam ad Filium meum lugens in infernum.* Non egemus te interrogare, ô Virgo, an hæc ſi tunica Filii tui: Verè illius tunica eſt, in utero tuo texta , qua tegeret divinitatem ſuam. Fera peſſima ſic ſcidit eam invidiæ fera. Nõ alieno, ſed ſuo tincta eſt ſanguine. Nec tincta ſolum, ſed immerſa, quia unde quaque dilacerata & perfoſſa cruore redundat; ideò meritò cruore cordis tui, hoc eſt lacrymis, eam denuò inſpergis, renovatis in corde tuo eius doloribus. Certè, ſi S. Catharina Senenſis, Maria Ogniaca, Coleta, Gertrudis, & aliæ, non potuere Ieſum Crucifixum intueri ſine lacrymis ex intima compaſſione profluentibus, quantò plures dedit Virgo Virginum lacrymas, quæ non iam præteritos dolores recolebat, ſed præſentes intuebatur, & quidem Filii ſui dilectiſſimi?

*Gen. 37.*

Accedamus & nos, noſtraſque cum Matris noſtræ lacrymis lacrymas miſceamus, illud piè ruminantes: *Stabat iuxta crucem Ieſu Mater eius.* In his verbis abſcondita latet virtus cæleſtis ait quidam Sanctus, potens in lacrymas reſolvere cor & oculos Fidelium, dum intimè recogitatur ſtatio hæc Virginis mutuus reſpectus Matris & Filii, utriuſq; allocutio, utriuſque etiam ſeparatio, & cordi Ieſu apertio. *I*ngrediamur in illud per hoc oſtium tamquam in Arcam, ut ibi cum Maria conquieſcamus & nihil cogitemus niſi Ieſum & hunc Crucifixum.

## LECTIO XVI.

*Doleo ſuper te Frater mi Ionatha, &c.*
2. Reg. 1.

*De funebri luctu ſuper Chriſti morte renovando ſingulis annis.*

Mors ita luctu digna eſt, ut etiam improborum mortem lugendam cenſuerint viri ſancti. Notum eſt quomodo mortem Abſolonis lugeat David: licet ipſe paterno diademati & ſanguini inſidiaretur impientiſſimè. Sic & Saulem mortuum deplorat amantiſſimè & amariſſimè. De quo eleganter S. Baſilius Seleucus, orat. 17 *Sublatum Saulem dolenter admodum lugebat David illuſtrabat tumulo, tumulum lamentis ornabat : & hæres Sceptri morum non adibat hæreditatem.* Nos itaque convenit Ieſu Patris ac Fratris noſtri tumulum ac

necem

necem lamentis exornare:ſed cum ſimus hæredes Sceptri eius, h. e. Crucis per quam toto orbe domi natur, etiam morum adire hæreditatem neceſſe eſt hæreditatem virtutum quæ in ipſo effluxerunt, pa tientiæ, humilitatis, obedientiæ, charitatis, ac alia rum. *Ipſe enim reliquit nobis pro teſtamēto & hæ-reditate Imaginem vitæ ſuæ, Imaginem mortis ſuæ, Cruciſque Sceptrum. In his tamquam filii gloriemur, quia ibi eſt Salus vita & reſurrectio noſtra*, crucifigique nos oportet cum illo ut poſſimus dicere:

*Ecce meum crucifixus amor crucifixit amorem.*
*Spemq; meam fixit ſpes crucifixa Cruci.*

Lugere ergo eum non tantum debemus, ſed & imi tari: Lugere non ſolùm ſicut David Saulem, ſed ſic-ut ipſe Ionatham, quia mortem eius deplorans, morum adibat hæreditatem. Conglutinata erat a-nima Davidis animæ Ionathæ, ſimilis ſimili, hu-milis humili: nec ſolum humana eos amicitia, ſed & virtus colligabat: non ſolum humores cōfœde-rabant pariles, ſed & mores. Quapropter Ionathas idem eſſe dicitur quod *Columba veniens*. Erat utra-que Columba pura, candida, & ſine felle, anima Davidis & anima Ionathæ: conſocianturq; ideo pietate, & indiviſo fœdere, ſive in vita, ſive in mor te. Verè Ionathas ipſe Chriſtus, ſuper quē Colum-ba venit, & qui ad nos tamquam Columba venit, & nunc eius anima egreditur, quaſi Columba de arca, poſt tres dies reverſura. Nos interim illu-ſtremus eius tumulum lacrymis & lamentis inſtar Davidis, & ei eidem Epitaphium illuſtre appenda-mus, quod David Ionathæ, quia magis ei convenit quam Ionathæ:

*Doleo ſuper te frater mi Ionatha,*
*Decore nimis, & amabilis ſuper amorem mulierum,*
*Sagitta Ionathæ numquam rediit retrorſum.*
*Quomodò cecidit fortis in bello?*
*Aquilis velocior, Leone fortior,*
*In excelſis, eheu, occiſus eſt.*

*Epitaphium Ionathæ Chriſto accommodatum*

Frater noſter eſt Columbinus & amantiſſimus fra-ter amabilis ſuper omnem amorem creaturarum, cui debet eſſe conglutinata anima noſtra indiſſolu biliter, ſive in vita, ſive in morte. *Sagitta eius nun-quam redit retrorſum*. Doctrina enim eius viva fuit & penetrans uſque ad intima cordis *Sagitta eius a-cuta in corda inimicorum Regis*, quia & pro perſe-cutoribus orans, eorum animos penetravit, & mul ta millia convertit. *Poſuit enim Dominus quaſi ſa-gittam electam*, quia & de ipſo crucis arcu multo-rum cordi ſalubriter vulneravit. Iſta ſagitta vulne-rati populi ſub ipſo cadent, immò ad idipſum vul nerantem recurrēt, quaſi cervi transfixi ad fontē aquarum. Audi S. Chryſoſtomum. *Iſta ſagitta vul neratus mente dicebat David. Adhæſit anima mea poſt te. Iſta ſagitta vulneratus* Petrus *dicebat Chriſto: Domine tu noſti quia amo te. Iſta ſagitta vulneratus* Paulus *& Chriſto connvinculatus dicebat. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti. Iſta ſagitta vulnerata caſta Sponſa dicebat: Vulnerata charitate ego ſum. O Gemitus de medio cordis amabilis!* Hæc S. Chryſoſto-mus. Quomodò ergo cecidit is cuius ſagitta num-quam rediit retrorſum: Qui ita fortis erat in bello; Cuius cypeus numquam fuit inanis? Cecidit heu! cecidit, ut nos erigeret. Vulneratus eſt, ut eius vul-nus ſanitas nobis foret. Mortuus eſt, ut mors ipſius nobis vita fieret. Infirmus factus eſt, ut nobis forti-tudinem conferret: *Dum in eo mors irruit, ruit; dum occidit. occidit: & iure omnium perdidit ſervitutem, dum nihil ſibi debentis perſequitur libertatem*, inquit S. Leo.

*Chriſtus frater noſter, 2. Reg. 1. Sagitta Chriſti. Pſ. 44. Iſa. 46. Chryſoſt. hom. de Turture*

*Chriſtus cecidit, ut nos erigeret.*

Vlterius ipſe eſt Leone fortior: *Leo de tribu Iuda*, qui vicit Leonem illum qui *circuit quærēs quē devoret*, cui & propheticè dicit Iacob: *Catulus Leonis Iuda ad prædam aſcendiſti fili mi. Laudabunt te fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum, adorabunt te filii patris tui.* Ipſe quoque eſt Aquilis velocior, de quo Propheta pronunciavit: *Sicut Aquila provocans ad volandum pullos ſuos & ſuper eos volitans, aſſumpſit eos in humeris, in fortitudine ſua. ut portaret eos ad habitaculum ſanctum ſuum.* Certè quod in cruce extendit alas brachiorum ſuorum, nonniſi id propter pullos ſuos facit, ut volitare do-ceat, & infirmos in locum tutum cæleſtis habitacu li deportet. *Verumtamen licet ſit Leone fortior. A-quilis velocior*, voluit ſe imbellem Agnum exhibe-re. Ideo *in excelſis occiſus eſt*, in ſublimi altari crucis immolatus, ſine voce, ſine reſiſtentia, ſine contra dictione. Et hoc quidem propter nos ideoque meri ò poſcit lachrymas & lamenta à nobis, in reci-procationem amoris, quia ita nos amavit.

*Chriſtus Leone fortior. Gen. 49. Velocior aquilis. Deut. 33. Chriſtus in excelſis occiſus eſt.*

Iure ergo dicimus cum Davide: *Doleo ſuper te Frater mi, Frater amabilis nimis.* Doleo ſuper me, quia pro peccatis meis occiſus es in excelſis, Aqui-la velocior. Leone fortior. Iure quoq; cum Hiere-mia repetimus: *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris.* Et illud capite ſe-quenti. *Heu, defecit gaudium cordis noſtri! Cecidit corona capitis noſtri: Væ nobis quia peccavimus.* Quidni doleam vehementer, dum cerno toto in corpore tuo ſculptum dolorem, ſculptum amorē, in dolore amorem, in amore dolorem: ideoque quia amans & amabilis nimis es; etiam nimis eheu mihi lamentabilis es, & deplorabilis! Quomo-dò non doleam, dum intueor nudatum pectus, cruentum latus, latū lateris vulnus, manus pedes-que clavis crudeliſſimis confixos & terebratos, ca-put languidum & depreſſum, faciem fulgidiſſimā cōtenebratam, genas amabiles detritas & vellica-tas, oculos & lumina decora ſic extincta, regiū os expallens, labia dependentia, viſcera tenſa & aren-tia, corpus exangue & dilacerum, membra omnia ſanguineo fluore cruentata & deformata? Dolens ergo & gemens inclamare cogor: *O Virum dolorū! ô Virum amorum! ô noviſſimum virorum! Quo frater mi amabilis? quò fili primogenite* Dei? *quò tua deſcendit humilitas? quò tua flagravit charitas? quò proceſſit pietas? quò excrevit benignitas? quò tuus attigit amor? quò pervenit compaſſio? Doleo ſuper te, quia in domo eorum qui diligebant te ſic plagatus es,*

*Condolēdū Chriſto, quia pro peccatis noſtris occiſus eſt. Thren. 4.*

*Vide fuſè Auguſt. Medit. c. 6.*

in domo eorum qui tot beneficiis devincti erant ad amandum te. Sed doleo ſuper me, quia ego inique egi, tu pœna mulctaris: ego facinus admiſi, tu plecteris; ego crimen edidi, tu torturæ ſubiiceris: ego ſuperbivi, tu humiliaris: ego inobediens extiti, tu ſcelus inobedientiæ luis: ego gulæ pavi, tu inedia afficeris. *Me ad illicitam concupiſcentiam rapuit arbor libidinis, te charitas duxit ad arborem crucis, Tu fellis guſtas amaritudinem, ego pomi dulcedinem. mihi ridens congaudet Eva, tibi plorans compatitur Maria,* Me a te luxuria denudavit ſuperbia coronavit, ira transfixit, gula afflixit, &c.

*2. Condolendum Christo ut pro peccatis noſtris mortuo amorem repẽdamus.*

2. *Doleo ſuper te,* ô Vir dolorum, ô frater amabilis nimis: quia ſic peccata noſtra in te tranſtuliſti, ut illa expiares, & pro nobis ſatisfaceres; ſic amaſti nos, & nullum rependimus amorem: Quam pauci amant te, & pauci dolent ſuper te: Doleo ſuper me, & ſuper cæcitate noſtra, quia pauci cognoſcunt te, pauci agnoſcunt quanto nos proſecutus fueris amore, ideoque illum ſepeliunt oblivioſa ingratitudine; cum tamen pateſcant ſemper omnibus inſpicere & legere volentibus tui characteres amoris, toto tuo inſculpti corpore. Doleo, quia adeo exiguus eſt fructus doctrinæ, Paſſionis Mortis tuæ in his qui pereunt, in terrenis cordibus qui illum abſcondunt & ſepeliunt ſine fruge & ſine compaſſione, cum tamen audiant te illud Iob inclamantem: *Terra ne operias ſanguinem meum, & non habeat locum in te latendi clamor meus,*

*Iob. 16.*

*3. Condolendum Christo cum Maria Matre eius*

3. *Doleo ſuper te,* quia dolet ſuper te Mater tua, Materque mea: & vehementer dolet, quia amat vehementer, inflammatur dolore, quia ardet amore. Novo quodam & inexplicabili dolore & cruciatu rurſus te parturit, meque tecum, dum ſingula adhuc hiantia contemplatur & contrectat vulnera ad cor uſque felicior inclamans voce, quam Thomas in lateris exploratione: *Dominus meus, & Deus meus,* Stat quidem conſtans, non minus quam Abraham, parata te filium ſuum & gaudium ſuum Patri immolare pro omnium redemptione, attamen dum inter brachia materna deponeris, ſuo te apprimit pectori, & non poteſt non materno indulgere dolori, lachrymis calidiſſimis, quaſi cruore ex medullis cordis ſui deprompto le vans & irrigans ſingula vulnera, & velut perũgens hac unctione pretioſa, præveniensque unctionem myrrhæ & aloes, per myrrham amariſſimi doloris, per aloe afflictionis indicibilis. Anima eius & cor amantiſſimum, velut cera igni admota non potuit non liqueſieri charitatis & compaſſionis ardore, totumque in lachrymas effluere, quæ refluerent in te cordis ſui filium. Quid poterat aliud dicere hæc Mater, carneam veſtem filii ſui, ſic conſciſſam, ſic ſanguinolentam contemplans & contrectans, & figens oſculum modò capiti, modò oculis & genis, modò ori & labiis, modò brachiis & manibus, modò lateri & pedibus, niſi hæc & ſimila, cum amore cordis non oris: O dilecte Fili cordis mei, quænam crudelia corda, crudeleſque manus te ſic tractare ſic fœdare auſæ fuerunt, ſine ulla pietate & compaſſione: O mors, mors, itane es auſa ſuper Auctorem vitæ! O benedicti oculi, ſiccine eſtis obſcurati & in mortem clauſi? O divinæ manus, vel mihi ſaltem oſculũ permittite, Matri quæ vos genuit: O dulciſſimum os, ergò ne verbum Sapientiæ non ultra te audiet Mater deſolata? O labia mea, aſpergite vos labiorum eius amabili cruore: O corpus innocentiſſimum in viſceribus meis à Spiritu Sancto formatum, quomodò video te deformatum: O caput languidum, quam mihi conſtat carò te cum gaudio peperiſſe: iam enim illud gaudium carò perſolvo, quod perſenſi in Nativitate, in Regum adoratione, in Cantico Simeonis & Annæ. Iam effectu agnoſco quam verè dixerit mihi. *Tuam ipſius animam gladius doloris pertranſibit.* O Fili: ô vita! ô lux mea! ô gloria mea! ô totum bonum meum.

Quidni ergò doleam ſuper te, ô Frater mi amabilis nimis, dum ſic dolet Mater tua, Materq; mea Quomodò ei non compatiar, dum ſic compatitur tibi? Si non compatior, certè & fraternum deſero erga te affectum, & filialem erga ipſam. Vngam ergò & ego lachrymis, leniamque vulnera tua; Matris dolorem aſſociabo &, quoad in me erit alleviabo, non obliviſcar te mihi Fratrem eſſe, meque tibi; nec ero Matri Frlius inde votus, nec frater fratri ingratus. Vique ad ſepulchrum te deducam, dolens & lugens ſuper te, cum Maria Matre. Breve hoc iter erat e loco crucifixionis, & planum ac facile: ſed quam durum Matri, quamque tædioſum: Aſſerere auſim, durius tædioſiuſq; illi fuiſſe iter iſtud, quam iter confragoſum & longum à Galilæa in Ægyptũ. Ibi ſolabatur ſe Maria, & itineris alleviabat dolores, quod Filium & talem Filium in ulnis amantiſſimis geſtaret, panniculis involutum, & ſibi arridentem. Hic graviſſimè affligi neceſſe eſt maternum amorem, dũ deferri alienis ulnis & manibus coram ſe videt Filium ſindone mortis involutum. Ibi montes & colles ei erant in deliciis, dum te ſpectabat pignus ſuum chariſſimũ. Hic omnia in mœrore ſunt, dum nonniſi triſte & funeſtum occurrit ſpectaculum, concutiens cor maternum.

*4. Condolendum Christo cum Magdalena.*

4. *Dolo ſuper te,* non ſolum cum Matre, ſed & cum Magdalena, quæ non deſerit pedes quos ſemel lachrymis irrigavit in domo Simonis, illos pergit continuo fletu rigare, à cruce ad ſepulchrum pergens, eorum non depoſitura memoriam tota vita. Doleo ſuper te cum Ioanne, indivulſo Matris ſuæ Filio & dolorum eius conſorte, qui non deſerit pectus in quo caput reclinavit, & undam ſapiẽtiæ hauſit ſalutaris; nunc autem in illum Fontem, piarum lachrymarum copiam refundit. Doleo ſuper te, cum nobili & pio Ioſepho Arimathæo, qui pedes manuſque non deſerit, è quibus clavos; nec caput, ex quo cruentam coronam ſpineã extraxit.

Ipſe

Ipſe primò in corde ſuo, deinde in ſuo monumento locum tibi lugens & dolens præparavit, quod in petra novum exciſum erat. Ipſe votis omnibus optabat ut petra nativum ſuum rigorem & aſperitatem poneret, & miteſceret; ſicque teneros tuos artus cum pietate complecteretur, & eorum dignitatem agnoſceret. Doleo ſuper te cum devoto Nicodemo, qui ſpiritu toto unctus acceſſit cum centum libris unguenti pretioſi, & cum ſindone munda: lugens dolenſque non deſerit ſindonem iſtam, nec corpus tuum involutum in ea, donec tuto & honorifico loco collocarit, tibi commortuus, tibi conſepultus; & ſic apertum ſe iam diſcipulum oſtendit, qui antea erat occultus.

Vterque illorum nō ſolùm terrenis opibus, ſed & virtutibus locuples, nō pepercit ſumptibus propter te. Vterq; nihil veritus probra, irriſiones, maledicta, ſed fidem fixam habens in Dei regno opē ſuam contulit ut deponereris de ligno maledicto, & honorificè condereris præparato in tumulo. O ter quaterque felices, quibus datum eſt ut iuſta Filio Dei perſolverent, corpus divinū contrectarent cum pietate, involuerent cum compaſſione, deducerent cum honore, funus & exequias triſtes celebrarent cum dolore & amore; ſicque Parenti parentum omnium parentarent, Angelorum choro ſpectante, & obſtupeſcente.

*T 5. Condolēdū Chriſto cum inſenſibilibus creaturis.*

5 Denique, *doleo ſuper te*, quia Sol, & Cælum, Terra & Templum, & inſenſibiles aliæ creaturæ dolent & lugent ſuper te. Sol enim & aſtra ſuam retraxare lucem, non ſolùm in abominatione Iudaici ſceleris, & in teſtimonium admirabilis eorum cæcitatis: ſed etiam in teſtimonium quod verus Sol & Solis auctor moreretur: ideoque lugubrem ſibi veſtem circumcingit, tenebras ſcil. quaſi ſaccum, quo & in ſignum luctus orbem induit ob obitum Creatoris. Sic & *Velum templi ſciſſum eſt*, nō ſolùm ut ſignificaretur Synagogæ diſſolutio & populi Iudaici in diverſas partes diviſio & diſſipatio, ſimulque vetera ſacramenta deſiiſſe, & iam viam in cælū quaſi in Sancta ſanctorum per Chriſti mortem patefactam eſſe: Sed etiam ut ſignificaretur, Templum ipſum præluctu, ut mos illius erat temporis, veſtem ſuam ſcindere, & Templi Dominum deplorare, cuius anima à corpore erat ſeparata, ſicut Vult partes à ſe mutuò erāt divulſæ. In ſymbolum quoque luctus communis inter elementa, nō ſolùm aer obſcuratur, ſed etiam terra & petræ finduntur, & monumēta aperiuntur: in quibusdam etiam inſulis maris hæc vox reſonare auditur, *Magnus Pan mortuus eſt*. Sicut obeuntem Patremfamilias, non ſolum filii & famuli, ſed & ipſi parietes mox lugere videntur, nigris veſtiti & funeſtis pannis: Sic moriente te, Domine Ieſu, qui omnium Creator es, Paſtor & Rector, creaturæ tuæ funus & exequias ſuo celebrant modo, condemnantes corda dura, quæ nulla commoventur hac in re compaſſione aut dolore. Cur ergo non doleam ſuper te, & propter te, ſi inſenbilia lugent & dolent? *Vſque modò*, inquit S. Bernardus, *Paſſio Domini facit terram tremere, petras findi, ſepulchra aperiri, velum ſcindi.* Id certè fit dum terreni homines paſſionem hanc ruminantes timore ſancto cōcutiuntur: dum duri inſtar petræ, in eius conſideratione, compunctione cordis finduntur; dum ſepulchra, ſignata & obſerata propter verecundiam, per confeſſionē aperiuntur: dum velum quod inter eos & Deum ſeparationem inducebat, diſcinditur, & lacrymæ fluunt ob eius offensā. De his eſſe peropto, & ideo ſuper te doleo amantiſſime Domine creator & Redemptor. omneſq; mecum dolere cupio, & lacrymas dare, cuiuscumque ſint gradus, ſexus, aut conditionis.

*Bern. Feria 4. heb. ſancta.*

*Omnis ſtatus & ſexus ad condolendū Chriſto provocatur.*

*1. Reges & Principes. 2. Reg. 3.*

1. Accedite igitur Reges & Principes, dolete ſuper eum qui Rex Regum eſt, cuius *Principatus ſuper humerum eius, qui emittet Sceptrum & Virgam virtutis ſuæ ex Sion*, ut dominetur in medio inimicorum ſuorum. An non ignoratis, *quoniam Princeps & maximus cecidit hodie in Iſrael?* Si id ignoratis legite titulum Sceptri eius: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*. Nec miremini hoc inſcriptum patibulo. Etenim DOMINUS REGNAVIT A LIGNO. Plorate ergo ſuper hoc Sceptro, illudque lachrymis rigate: plorate ſuper eius Corona & Diademate; plorate ſuper eius paludamento purpureo & regio, ſic dilacero, ſic conſciſſo propter vos, ut gloriam & regnum ac principatum vobis compararet, & dicite illud Hieremiæ 22 ex imo cordis: *Væ Domine! Væ Frater! Væ inclyta!* Aut dicite levātes vocem cum Rege Davide plangente Principem Abner ſacrum illud Epicedium: *Non ſicut ſolent ignavi mortuus es. Manus tuæ ligatæ non ſunt compedibus aggravati: ſed ſicut ſolent cadere coram filiis iniquitatis, ſic corruiſti.* Non enim funes, vel clavi, ei manus ligare potuerunt, aut pedes; ſed propria charitate ſeſe fortiter & voluntarie tradidit filiis iniquitatis, ut pro illis moreretur, & pro vobis.

*Ibid.*

*Sacerdotes & Paſtores.*

2. Accedite Sacerdotes & Paſtores, & dolete ac plangite ſuper Paſtorem Paſtorum, Summumque Sacerdotum: quia in monte oblato Sacrificio omnium præcedentium ſacrificiorum conſummativo mortuus eſt; vultq; ut Sacrificii & Mortis ſuæ omni tempore commemorationem agatis, ſed maxime hiſce diebus. Morti eius repræſentādæ ſpecialiter conſecrati, ſpecialiterque Sanguine eius aſperſis. Si olim occumbente *Moyſe* populi Duce ac Paſtore, & Aarone ſupremo Sacerdote, *omnis multitudo flevit triginta diebus per cunctas familias ſuas*. Quid vos oportet facere Sacerdotes, ſaltem his diebus poſtremis lugubris Quadrageſimæ, pro illo, qui vos ſuæ fecit participes unctionis, & inſignivit ſacerdotali charactere in conſortium poteſtatis? Lugete ergo Sacerdotem Sacerdotum, & lachrymis rigate eius Coronam Sacerdotalem ac Thiaram, eius Veſtem diverſicolorem, eius Digitos clavis quaſi gemmis ornatos, eius

*Deut 34. Num. 20.*

Altare,

Altare, aliaque Inſignia Sacerdotii eius, amore ſed dolore plena.

*Omnes veri amici Ieſu. Prov.17*

3. Accedite quicunque amici eſtis, quia *omni tẽpore diligit, qui amicus eſt*, & maxime in afflictione. Quod ſi lachrymæ vobis deſunt, vel ſtatui veſtro parum convenire iudicantur: ſaltem ad imitationem vos provocent amici, qui patientem Iob in afflictione ſua viſitarunt. Venientes hi ad eum videnteſque ſedentem in ſterquilinio, à capite uſque ad calcem percuſſum, omnigenis ulceribus & doloribus afflictum, ita attoniti fuere & ſtupore perculſi, ut ſeptem diebus coram eo ſedentes & ſtupentes nihil valerent eloqui. Quid ita? *Quia videbant dolorem nimis eſſe vehementem.* Et qui prius eius opulentiam, fœlicitatem, pœnitentiam probe noverant; tantam nunc abiectionem, miſeriam, infœlicitatem non ſatis corporis & animi oculis conſiderare poterant.

Quid facient veri IESU amici, videntes eum in Calvariæ monte inter ſpurcitias & fœtores cadaverum ceu in ſterquilinio jacentem, exulceratum, cõfixum, conſpurcatum, ac velut leproſum à vertice ad calcem percuſſum? An non vel lachrymis ulcera ungent, vel attoniti in ſilentio ſtabunt eo uſque miſeriæ propter ſe proiectum conſiderantes amicum illum, qui autem divinitatis & maieſtatis fulgore ac potentia omnem à ſe propulſare valebat caliginem calamitoſam? Ergo lugete amici, & dolete ſuper eum, quia propter amicitiam & ſingularem benevolentiam hæc ſolummodo patitur, & emoritur propter vos.

*Mulieres & matronæ.*

4. Accedite & vos mulieres & matronæ, cum MARIA Matre eiuſque conſanguineis & conſodalibus lugete & dolete ſuper eum; quia illi gratiſſimum eſt obſequium veſtrum cũ ubertate lachrymarum, quas tenera mens veſtra cũ pietate poteſt educere de cordis compaſſione. Accedite & vos, ô

*Virgines.*

Virgines, dolete ſuper filia Iephte, hoc eſt, ſuper Humanitate IESU, cuius illa erat typus, quã Pater æternus in monte Calvariæ immolavit in Holocauſtum, ut huius immolationis merito victoria plena de hoſtibus potiremur: Ipſa quoque hoc Patris cæleſtis deſiderium magna obedientia adimplevit, ſeipſam offerens & immolans, & nõ minus quam filia Iephte dicens: *Fac quod pollicitus es, conceſſa tibi victoria de hoſtibus tuis.* Mos autem increbuit in Iſrael, *ut poſt anni circulum conveniant in unum filiæ Iſrael, & plangant filiam Iephte diebus quatuor.* Et vos igitur hiſce quatuor ſaltem diebus extremis lugete ſuper Humanitate IESU: lugete eius virginitatem, hoc eſt, integritatem & innocẽtiam tormentis ſic affectam. Quod ſi per montes lugere vultis, ite ad montem Sion, ubi valedixit, ad montem Oliveti, ubi pati incepit, ad montem Calvariæ, ubi immolari voluit. Gratæ ei erunt veſtræ lachrymæ his diebus.

*Iud. 11.*

*Omnes omnino mortales.*

5. Accedite denique omnes, ſive plebei ſive nobiles, ſive divites ſive pauperes, ſive idiotæ, ſive ſapientes; & dolete, quia hic iacet Gemma nobilium, Pater pauperum, Proviſor divitum, Medicus ægrorum, Conſolator afflictorum, Gloria ſapientum, Sapientia idiotarum; ideoque ab omnibus poſcit luctum & lamentum. Olim mortuum Ioſiam pium & amabilem Regem lugebat univerſus Iſrael, & Ieremias Propheta lamentationis ſuper eum edidit, quæ quotannis lugubri ſono repetebantur, 2. *Paralip.* 35 lugebantque eum Familiæ & familiæ ſeorsũ, *Zach.* 12 Ecce Ioſias noſter (quod interpretatur Oblatio Domini) cuius alter Ioſias typum geſſit, mortuus eſt, & quotannis propter eum repetuntur lamentationes Ieremiæ Lugeant ergo Familiæ & familiæ ſeorſum in Eccleſiis ſuis; lugeant familiæ Religioſæ, ſive ex viris ſive ex fœminis compoſitæ; lugeant familiæ ſæculares, lugeant pauperes & divites, quia pro omnibus mortuus eſt pius Pater populi ſui, pro omnibus oblatus eſt in victimam. Iuxta arborem mortuus dicitur Ioſias, quæ poſt exaruit; iuxta arborẽ mortuus eſt Ioſias noſter, Chriſtus, quæ nunquam exareſcet, ſed maxime frondebit, floreſcet, fructificabit, ſi lachrymis noſtris irrigetur quotannis. *Zach. 11.*

*Concluſio.*

EFfunde, Domine, in familias tuas *ſpiritum gratiæ & precum*, ſpiritum compaſſionis, & orationis, ac compunctionis, ut *aſpiciant ad te, quem confixerunt; & plangant ſuper te, planctu quaſi ſuper unigenitum.* Plangant te & ſe omnes, vel ſimul, vel ſeorſum, vel in Eccleſia publica, vel in domo aut oratorio privato, laventque his compaſſionis lachrymis delicta ſua, lavent vulnera tua, lavent manus, lavent pedes tuos, lavent cor & affectus ſuos, ſicque fiant tibi victima & oblatio grata lachrymis conſperſa fidelibus.